ANNALES

ACADEMICI.

CIƆIƆCCCXLIX—CIƆIƆCCCL.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO
J. G. LA LAU.

PROSTAT APUD
E. J. BRILL.

1854.

Quae hoc annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

Pag.

Nomina Professorum, caet. . . . . . 3.

Oratio Rect. Magn. . . . . . 5.

Acta et gesta in Senatu . . . . . 35.

Series Lectionum . . . . . 38.

Numerus Studiosorum . . . . . 46.

Doctores creati . . . . . 47.

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

Nomina Professorum, caet. . . . . . 55.

Oratio Rect. Magn. cum addendis . . . . . 57.

Programma certaminis litterarii . . . . . 90.

Acta et gesta in Senatu . . . . . 92.

Oratio inauguralis Professoris L. C. van Goudoever . . . . . 93.

Series Lectionum . . . . . 114.

Numerus Studiosorum . . . . . 121.

Doctores creati . . . . . 122.

ACADEMIA GRONINGANA.

Pag.

Nomina Professorum, caet. . . . . 127.

Oratio Rect. Magn. . . . . 129.

Redevoering van den Rector Magnificus, den Hoogleeraar Mr. J. H. PHILIPSE, *uitgesproken in de Martini Kerk, bij gelegenheid der inwijding van het nieuwe Academiegebouw,* 25 *Sept.* 1850 . . . . 145.

Oratio Professoris P. HOFSTEDE DE GROOT, *die* 26 *m. Sept.* 1850, *quum inter solennia, quibus templum Academiae Groninganae novum inaugurar etur, duodecim viri honoris causa variarum facultatum doctores proclamarentur* 183.

Inwijdingsrede van den Hoogleeraar M. DE VRIES . . . . 199.

Inwijdingsrede van den Hoogleeraar J. H. JANSEN . . . . 231.

Ordo Lectionum . . . . 256.

Numerus Studiosorum . . . . 261.

Doctores creati . . . . 262.

ADDITAMENTA AD ANNALES ACADEMICOS MDCCCXL—MDCCCXLIX.

Fata Acad. Groninganae inde a d. IX m. Oct. a. MDCCCXL usque ad d. XII m. Oct. a. MDCCCXLVIII . . . . 269.

Doctores honoris causa creati . . . . 274.

Programma litterarii certaminis . . . . 275, 283.

Judicia de Commentationibus, caet. . . . . 277, 285.

Corrigenda . . . . 288.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

Nomina Professorum . . . . 291.

Acta et gesta in Conventibus, caet. . . . . 292.

Series Lectionum . . . . 293.

Numerus Studiosorum . . . . 298.

Oratio inauguralis Professoris D. I. VAN LENNEP . . . . 299.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

Nomina Professorum, caet. . . . . 325.

Ordo Lectionum . . . . 326.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI,

INDE A. D. IX FEBR. CIϽIϽCCCXLIX AD VIII FEBR. CIϽIϽCCCL,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

GERARDUS CONRADUS BERNARDUS SURINGAR,

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

ANTONIUS RUTGERS.

IN FACULTATE MEDICA.

G. C. B. SURINGAR.
M. J. MACQUELYN, quantum aetas et valetudo sinebant.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
F. W. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS, Prof. Extraord.
H. HALBERTSMA, Prof. Extraord.

IN FACULTATE JURIDICA.

H. G. TYDEMAN, quantum aetas et valetudo sinebant.
C. J. VAN ASSEN.
H. COCK.
J. R. THORBECKE.
J. DE WAL.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL.
N. C. KIST.
J. F. VAN OORDT, J. G. FIL.
J. H. SCHOLTEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. G. C. REINWARDT, quantum aetas et valetudo sinebant.
J. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. J. VERDAM.
F. KAISER.
G. H. DE VRIESE.
P. L. RYKE, Prof. Extraord.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

M. SIEGENBEEK, quantum aetas et valetudo sinebant.
J. BAKE.
J. M. SCHRANT.
A. RUTGERS.
T. G. J. JUYNBOLL.
J. H. STUFFKEN.
C. G. COBET, primum Prof. Extraord., deinde Ord.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. Extraord.

LECTOR.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector German. Litt.

GER. CONR. BERN. SURINGAR

ORATIO

DE

NATURAE ET LITERARUM STUDIO IN RE MEDICA CONIUNCTISSIMO,

HABITA DIE VIII M. FEBRUARII AN. MDCCCL, QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM SOLEMNI RITU DEPONERET.

16x

Salvete iterumque salvete, Auditores Humanissimi, festo die anniversario Academiae Lugduno-Batavae, cuius lucem civitati huic literariae bonis auspiciis adfulsisse laetamur!

Gratulor vobis et omnibus, quotquot literis et humanitati favent, quotquot animorum culturae hominumque tam publicae quam privatae felicitati bene cupiunt, solemnem hunc laetumque diem, natalem Academiae ducentesimum septuagesimum quintum.

Quam quidem longam annorum seriem cogitare vix possumus, quin laetis piisque animi sensibus laudes celebremus Dei, summi et supremi rerum humanarum omnium moderatoris, ad cuius providam curam tum alia beneficia, tum sartam tectamque referri oportet hanc, nobis dilectissimam, eruditionis, doctrinae et sapientiae scholam.

Itaque Tu Deus ter optime maxime, quem Academiae nostrae conditorem veneramur, conservatorem fautoremque benignissimum, Tu non dedigneris nostras accipere grates nostrisque adnuere votis, quae pro perpetua huius scholae salute facimus.

Ad Te Academiae, in rebus quoqne adversis, quae subinde perniciem et interitum minabantur, servatae et adhuc antiquam suam famam tuentis, laus omnis ac gloria redeat!

Tu nobis rebusque nostris pergas esse propitius!

Placeat Tibi, precamur, ut, post quinque lustra denuo expleta, haec nobis et qui in nostrum succedent locum, Te duce et auspice, contingat felicitas, ut Academia nostra sospes, amplificata, ubi opus erit, reformata novoque splendore ornata, festum saeculare tertium, sereno ac hilari vultu, sit celebratura!

Sic igitur, A. A. H. H., post quadrantem saeculi, Deo volente, tertia sua saecularia Leidensis Academia celebrabit, neque tunc, si augurari hoc liceat, illi, qui annuo Rectoris munere defunctus, eodem octavo mensis Februarii die, orationem saecularem habebit, larga deerit dicendi materia, si argumentum, ut fieri solet, ab ipsius Academiae historia et insignioribus, quae habuerit, fatis petatur.

Quod ut in saecularibus festis commode fieri possit, tum acta et gesta in senatu diligenter scriptis mandari solent, tum vero, qui annuum magistratum depositurí sunt, lege iubentur, ut res prosperas et adversas, quae proximo anno contigerint Academiae, aut breviter aut magis copiose in audientium memoriam revocent.

Quod quidem exemplum, ut maxime semper laudandum esse censui, ita nunc libentissime sequi instituam.

Quum tamen mihi adeo felici esse contigerit, ut, quae vocantur, superioris anni academica fata quam brevissime enarrare possim, equidem prius alteri, quod muneris mei ratio, non quidem lege sed more laudabili, postulat, officio, sic ut potero, satisfacere conabor.

Quod consilium pace vestra A. A. H. H. iam exsequi liceat.

Ex quaestionibus igitur, postremo tempore plurimum agitatis, de academicae institutionis consilio, de optima docendi methodo, de loco studiis apto, de vario disciplinarum genere, quae vel publice doceri debeant, vel autodidactis possint committi, et quae ex eo genere sunt aliae, una praesertim nobis esse videtur, de qua saepius nos cogitare et nobiscum deliberare oportebit, ubi academiarum laudes et ipsum, quod tulerunt, *Universitatum* nomen tueri cupimus. Versatur haec, quam significamus, quamque in rebus academicis magni momenti esse censemus, gravissima quaestio tum in partitione, qua varia disciplinarum genera, in institutionis gratiam, distinguuntur, tum in cognatione aut affinitate, qua inter sese coniunctae sunt, tum denique in communi vinculo, quo omnes et singulae continentur.

Nimirum varia disciplinarum genera, quae communi scientiae nomine comprehenduntur et quarum infinita varietate ingeniorum ornamento et emolumento optime consultum est, si ad fontem attendimus, ex quo

manarunt, duplicis fere generis sunt. Aut quippe in corporibus, quae nata sunt vel creata, horumque proprietatibus et viribus explorandis, ideoque in ipsius Naturae rebus versantur: aut in literis et historia potissimum occupatae sunt, id est, in cognoscendis humani ingenii monumentis. Haec *humanitatis studia* appellantur, illa *physicarum disciplinarum* et *physiologicarum* nomine solent insigniri.

Horum utrorumque studiorum rationem prorsus disparem esse, et ita quidem ut sibi invicem adversentur, in rebus praesertim ad artem medicam pertinentibus, multi fuerunt et etiam nunc sunt, qui sibi persuasum habere profiteantur, suam quisque rationem acriter defendentes eamque unice probandam esse opinati. Quod quidem non paucis demum ante nos saeculis, sed in ipsa fere medicinae, simul atque aliquam scientiae formam adepta esset, origine factum esse videtur, quum constet, iam ante Celsi aetatem in eo dissensionem fuisse, quod alii sibi experimentorum tantummodo notitiam necessariam esse contenderent; alii, nisi corporum rerumque naturalium ratione comperta, non satis potentem usum esse proponerent. Attamen eadem res praesertim medicorum exercuit mentem atque industriam, a quo tempore Franciscus Baco, acri vir ingenio et magnum Angliae decus, condito et commendato philosophiae *experimentalis* seu *practicae* studio et spreta scholarum auctoritate, novam eamque evidentissimam monstravit instaurandae cuiuscunque humanae scientiae methodum. Quam veritatis inveniendae viam, ut fieri solet, alii impense laudarunt et alacriter ingressi sunt, alii improbarunt aut solam sufficere negarunt, aegre praesertim ferentes, omne sic negligi historiae studium. Cuius quidem belli inter viros doctos agitati, novam nostra aetate factam esse instaurationem, nemo valde mirabitur, qui aut insignes cogitaverit, qui hoc ipso saeculo facti sunt, scientiarum naturalium progressus, aut temerariam quorumdam hominum levitatem, qui, solo utilitatis studio ducti, quae ex prisco aevo nobis supersunt, humanitatis et scientiae reliquias, in hac saeculi, quod vivimus, luce prorsus fere negligi posse, aut, tamquam inveteratas et aniles opiniones, longe exterminandas esse opinentur.

Itaque in hoc hominum dissensu, de methodo deliberantium in rebus medicis praesertim probanda, aut *physiologica*, quam vocant, aut *historica* et *philosopha*, operae pretium mihi facere visus sum si indicare possim,

quae maxime ex utraque parte dicantur, et qua potissimum conditione medicorum dissentientium lites componi possint et debeant.

Quam quidem provinciam in me suscepturus, pace vestra A. A. H. H., dicam: de Naturae et Literarum studio in re medica coniunctissimo.

In quo quidem argumento explicando non universam studiorum naturalium et historicorum indolem atque ingenium eruere vobisque proponere conabor, quale quippe propositum exsequi, et virium mearum ratio et vero tempus, quod ad dicendum conceditur, prorsus vetarent; verum simpliciori dicendi genere usus, vestraque benevolentia fretus, exempla potius excitabo, quibus constet, utrumque studiorum genus minime adversis, ut dicitur, frontibus inter se pugnare, sed contra amico foedere contineri, nec sine gravissimo damno in re medica separari posse aut divelli.

Si quis quaerat, qua praesertim naturae et ingenii excellentia opus sit, ut iuvenes, in academiis scholas medicorum adeuntes, ad gravissimum medendi munus rite possint praeparari, aut ego fallor, aut respondendum est, praeter alias corporis ingeniique dotes, animum requiri, qui naturae contemplatione delectetur magnamque rerum naturalium explorandarum habeat cupiditatem. Quapropter si quis contendere velit, in hac consideratione et contemplatione naturae praecipuum positum esse omnis scientiae et artis medicae fundamentum, non admodum me dissentientem habebit.

Nimirum, sive ad disciplinarum, quae medicis res scitu dignas suppeditare censentur, attendamus argumentum, sive doctrinae, qualem medici curant, spectemus ingenium, sive consulamus superiorum temporum historiam, sive recentissimam cogitemus, quae ad nostram aetatem pertinet, universae disciplinae nostrae apud principes Europae populos conditionem; singula haec et universa luculenter docere videntur, omnem fere, quam medici habent, scientiam solis rebus naturalibus contineri. Nec est, quod multum hac de re disputemus. Etenim in natura humana et natura, quam vocamus, externa, sive in explorandis et cognoscendis rebus singulis, quae tum ad hominem et corpus humanum, tum ad notitiam pertinent corporum, in quorum societate vivimus aut quibuscum commercium aliquod habemus, omne cognitionis medicae argumentum versatur.

Itaque praecipua studiorum, quorum medici interest, materies ipse homo est et corpus humanum: in quibus quippe quam diutissime servandis, sanis praestandis, et, ubi ex morbo laborant, curandis suum habeat, quod assequi cupit, consilium atque propositum. Cum hac autem hominis notitia, quam vocare poterimus Anthropologiam, modo omnem vim vocis teneamus, neque limitibus iusto arctioribus hanc definiri patiamur, coniungenda est accurata stirpium et bestiarum, quas contubernales habemus, cognitio, tum universae naturae, quam anorganicam vocare solemus, scientia. Ceterorum vero animantium et, quae solo affixae sunt, plantarum notitia indigemus, quoniam singula corpora, quae structuram organicam possident, quae aëris lucisque vi et desiderio reguntur et procreandi vim nacta sunt, adeo inter sese conspirant, ut imperfectissima sit hominis et corporis humani scientia, nisi clarissima luce, quam aliorum corporum viventium cognitio suppeditat, rite collustretur. Praeter ea autem naturam universam, res fere singulas, quotquot spatio et tempore continentur, quotquot sensu hominum externo percipiuntur, ad medicorum studia referri diximus, tum quia homo cognosci nequit, ignoratis corporibus, quae in hominem agunt, tum quia haec ipsa, praeter causas morborum, remedia suppeditant sive instrumenta, quibus hos vel superare possimus, vel lenire et mitigare. Videtis iam, nisi me omnia fallunt, singula, in quibus explorandis et cognoscendis medicorum industria occupatur, res naturales esse, solo sensuum auxilio investigandas; quaecunque autem extra vel supra naturam sunt, a foro medico prorsus excludi.

Quod quo melius appareat, principes in re medica locos persequamur singulos.

Itaque in materiae et formae studio, cuius utriusque notitia opus est ad corporis cuiuscunque, ideoque organismi etiam humani naturam intelligendam, occupata est Anatomia, quae ideo totius medicae scientiae praecipuum fundamentum habetur et firmissimum fulcrum. Haec autem, quo nunc colitur, ambitu, ecquid aliud est quam disciplina, quae universam fere complectitur corporum organicorum analysin? Quem finem ut assequatur, non solius cultri auxilio, a quo nomen habere scimus, sed manuum sensuumque adiumentis quam plurimis utitur, tum ad partium quarumcunqne sedem, positum, ordinem, nexum omnemque figuram recte intelligendam,

tum ad subtilissimam et penitiorem, elementarem vocant, textuum et organorum fabricam investigandam. In quibus arcanae subtilitatis mysteriis detegendis si nuperrime longe magis simus progressi, quam Bichati tempore fieri potuit, ecquis dubitet, causam quaerendam esse in novis aut perfectioribus, quae ad organismi humani analysin adhibita fuerint, adiumentis sive praesidiis? Quodsi enim insignes cogitemus progressus, qui in cognoscendis minimis, ex quibus fluidae et solidae corporis partes conflatae sunt, elementis, qua nec manus pervenire poterat, nec acies oculi penetrare, tum microscopii tum Chymiae organicae auxilio, nostra praesertim aetate, facti sunt, tunc parum profecto abest, quin fateamur, omnem in re anatomica ceterisque disciplinis, quae naturales vocantur, perfectionem, pro maxima parte, pendere a novis, quae nunc adhibentur, artificiorum adiumentis.

Neque alia est methodus perficiendae disciplinae, in qua de usu partium, quae coniunctae constituunt organismum, probabiliter disputatur. Quid enim in cognoscendis naturalibus, quas appellant, corporis eiusque partium actionibus magnopere proficiemus, nisi sensuum nostrorum ministerio et diversissimis horum adiumentis diligenter utamur? Admirabilem illam, ut unum alterumve exemplum afferam, et prorsus singularem, quaeque, quamdiu vivimus, nunquam quiescit, actionem, qua spiritum vicissim trahimus et emittimus, nemo intelliget, nisi prius, quid in pulmones intret, quid ex his exeat, accurate cognoverit. — Intricatum digestionis et nutritionis negotium prorsus lateret, nisi, praeter alimentorum naturam, diversa succi gastrici, bilis aliorumque menstruorum organicorum elementa arte detegi possent. — Organa motus tandem, (ne de aure et oculo dicam, qui ab omni fere parte, cum instrumentis physicis comparari merentnr,) organa motus igitur in quos usus sint, quibusque vicibus fungantur in corpore, is demum intelliget, qui animadverterit musculos ceu funes subtensos vectibus machinisque animalium; qui adverterit tendinum, in quos desinunt, directionem; ossium iuncturae genus; ligamentorum formam, quibus tamquam vinculis et retinaculis fulciuntur, et quae ex eodem genere sunt alia.

Itaque omne doctrinae physiologicae fundamentum prorsus empiricum est, solis superstructum observatis et experimentis, quorum interpretatio,

quum ad sobrietatis praesertim laudem adspiret, tum ab accuratissima petitur, quam anatomicam vocavimus, organismi cognitione, tum ab eo disciplinarum genere, quas per excellentiam physicas nominare solemus, tum denique, ubi sermo est de corporis animique commercio, ab eo Psychologiae genere, quam vocamus empiricam.

Vix alia est studiorum ratio, qua ad accuratam venire possimus morborum notitiam. Ut enim horum cognoscamus formam ac speciem, quae utramque produnt, notae physicorum more sunt explorandae. Itaque morbi non minus, quam, quae corpore bene valente fiunt, actiones, sua habent signa physica, chymica, anatomica sive organica, in quibus cognoscendis medici eadem, qua physici, utuntur methodo experimentali et analytica. Cogitetis eximios, qui nostra aetate in Pathologia facti sunt, progressus, quos debemus excultae Acusticae medicae: cuius quippe ope, ex percussi pectoris sono et vario, quod per tubum pectori impositum aure excipimus, intrantis vel exeuntis aëris murmure, strepitu aut clangore, reconditos pulmonum aliarumve vicinarum partium morbos adeo probabiliter suspicari possumus, ut signa sic intellecta pro clarissima habeamus Naturae voce. Quid praeter ea, accurata inspectio, exploratio, mensuratio (qua vel aërem, quovis emisso spiritu exeuntem, metiri et ponderare didicimus) aliaeque rationes physicae, et inter has quoque microscopica et chymica rerum exploratio, ad declarandam aegrotantis corporis naturam contulerint, equidem indicare cuperem, nisi in rerum praecipuarum commemoratione me continere deberem. Quemadmodum vero his aliisque praesidiis diagnosticis multum in morborum cognitione profecimus, sic non minus in hac re momentum habet Anatome pathologica, cuius ingenium recentissimo tempore prorsus fere mutatum est. Si enim cogitemus, qualis recentiorum aliquot medicorum sagacitati debetur, universam huius disciplinae rationem, vix dubium superest, quin eam vocemus et habeamus universae pathologiae clavem, qua intima morborum penetralia, antea prorsus recondita, felicissime quandoque recludi possint.

Si tandem quaeratur, quid de altera medicinae parte, de morbis sanandis et de praesidiis in hunc finem adhibendis, censendum sit, respondemus, praecipuam, quae ad harum rerum notitiam ducat, methodum in natura observanda et exploranda esse positam. Nisi enim naturam ducem ac

magistram habeamus in omni artis nostrae ministerio, nisi illius in morbis sanandis opera imitari et iuvare studeamus, metus est, ne pleraque nostra molimina omni successu careant. In morbis quippe plerisque ipsa natura indicat, quid a medico, qui auxilium allaturus sit, fieri oporteat. In his autem *indicationibus*, quo nomine naturae monita insignire solemus, prima Praxeos fundamenta contineri, ita ut, iisdem detectis, remedia facillime depromantur ex medicinae penu, post Sydenhamum recte monuit Italus medicus, quem in naturae studio excelluisse scimus, Georgius Baglivius. Ipsorum denique remediorum notitiam prorsus empiricam esse, solis observationibus et experimentis superstructam, adeo clarum et manifestum est, ut neque meo ad rem comprobandam, neque aliorum testimonio opus esse videatur.

Fateor A. A. H. H., non nisi obiter a me perlustrata esse tenuique penicillo adumbrata praecipua disciplinarum genera, quae coniunctae stadium medicum in hoc terrarum orbe absolvunt. At vel sic tamen, si recte video, luculenter constare potuit, hoc commune esse earum ingenium, ut nec in iisdem explorandis et cognoscendis, neque in praeceptis, quae continent, exsequendis proficere possimus sine accurato naturae studio. Unde intelligimus, quo iure dixerit, quem modo memoravi, Baglivius: Ars medica tota est in observationibus.

Experientia igitur, observationibus et experimentis diligenter factis superstructa, firmissimum omnis scientiae et artis medicae fundamentum est. Quanto autem magis observandi artem calleat medicus et in natura interroganda sit exercitatus, ad tanto maius perveniet doctrinae, eiusque germanae et salutaris, fastigium, tanto praestantior fieri poterit artifex, non solum ad faciendam, sed etiam ad promovendam artem idoneus.

In utrisque illis, quibus experientia medica comparatur, praesidiis qualis sit et quanta vis ad detegendam veritatem, vix satis potest declarari. Licet enim in rebus, quae tam ad hominis, quam ad universae naturae organismum pertinent, explorandis principem locum teneat observatio, in huius tamen complementum utiliter saepissime adhibentur experimenta. Quemadmodum quippe hominum ingenia melius subinde cognoscuntur in animi commotione, quam in placido vitae cursu, sic etiam pro naturae sua sponte loquentis voce, interdum audire praestat eiusdem interrogatae

et invitatae ad quaestiones sibi factas responsa. Praeter ea hoc quoque commodum habent experimenta, quod saepius et pro voluntate nostra, aut repeti possint, aut, si necesse fuerit, variari vel prorsus mutari. Quid ideo mirum, si declaremus, omnia et singula, quae ad scientiam et artem medicam pertinent, observando et periclitando sensim esse detecta, a medicis, eamdem viam ingressis, ulterius perficienda; aut si universam rem nostram spectantes, adsentiamur notissimo Aristotelis aliorumque philosophorum placito, nihil esse in intellectu, quod non antea fuerit in sensu.

Si tandem consulamus historiam, doceri videmur, in longa, quae sese exceperunt, saeculorum serie saepissime quidem ab intaminato naturae studio esse deflexum, ad hunc tamen purissimum scientiae fontem medicos, excellentissimo ingenio praeditos, nunquam non esse reversos. Prae aliis laudari meretur, quem artis nostrae parentem vocare solemus ac principem, Hippocrates, quippe qui antiquissimam Graecorum medicinam sic informaverit, ut hanc, quod Celsi testimonium est, a *studio sapientiae* separaverit, id est, ad naturae studium a mirabilium studio et ab inanibus hominum philosophantium commentis revocaverit. — Simili fere modo, medicos dogmaticos, qui post Hippocratis aetatem vixerunt, vario errorum genere irretitos, excepit praeclarus naturae interpres et in paucis eximius de rebus medicis scriptor, Aretaeus Cappadox, qui in observandi arte adeo excelluit, ut iure dicatur medicus diagnosticus summus, et ut vel nunc, ab aequalibus fere neglectum, praeclarum nobis exemplum sit, cuius magnitudinem admiremur. — Pulsam medii aevi barbariem secuta sunt immortalia Harvaei inventa, a Marcello Malpighio, Leeuwenhoekio aliisque optime comprobata, a quibus viris clarissimis, ex musei umbra in naturae lucem egressis, quid ad reformandam universam artis nostrae rationem sit praestitum, vix satis potest praedicari. — Cogitemus tandem Sydenhamum, Baglivium, Boerhavium aliosque in arte medica Coryphaeos, quorum exemplo factum esse laetamur, ut luxuriantis ingenii illecebris, quales a Paracelso et Helmontio profectae erant, naturae studium medici praeferre didicerint.

De eadem re nobis persuadebitur, si recentissimam spectemus universae disciplinae nostrae in Anglia, in Francia, in Germania conditionem. Ubi de Anglia sermo est, id est, de Harvaei, Ienneri, utriusque Hunteri et

Caroli Bellii patria, haec ipsa exempla testantur, libertatis studium, quo quippe ab auctoritatum vinculis liberemur, ingenii sobrietatem et infinitam in observando et periclitando industriam multum conferre, ut in disciplinis, quae empirici generis sunt, ideoque etiam in rebus medicis, quam plurimum proficiatur. — Neque aliam naturae explorandae methodum medicos in Francia habere, docet Anatomes generalis sive histiologicae, docet Physiologiae experimentalis, quam vocant, docet Anatomes pathologicae historia, quas quippe disciplinas in Francia aut primum cultas, aut penitus reformatas esse sciamus. — Si tandem ad Germaniam animum advertamus, in cuius nempe exemplum nostrates medici maxime solent intueri, decem fere postrema lustra luculenter testantur, per varios quasi gradus, in exploranda rerum natura, medicos principes, quos ea terra habuit et quibus adhuc gloriatur, esse progressos. Ineunte quippe hoc saeculo, reformandae medicinae initium factum est a philosophia naturali, id est a methodo quadam speculativa, cuius fautores ex naturae organicae contemplatione universam rerum naturalium rationem intelligi sive construi posse existimarunt. Horum autem labores, per quadrantem saeculi continuatos, si omni fere successu caruisse dixero, non est, quod quis valde miretur. Methodus enim, in qua soli ratiocinanti ingenio habebatur auctoritas, quasi philosophia ipsam suppeditare posset cogitandi materiam, vix aliquid bonae frugis conferre potuit ad stabiliendam scientiam, quae a rebus in facto positis omne suum momentum repetit. Itaque his maiorem auctoritatem habendam esse intellexerunt, qui ex eadem Schellingii schola, recentiori memoria, progressi sunt medici, maiorem a modestia laudem habentes, et rerum naturam minus creare, quam creatam intelligere cupientes, qui ipsam vitae scientiam ex cognitione vitae genetica petendam esse docuerunt. Hanc igitur sibi parare cupientes et philosophiae speciem professi, quae *naturae historia* sive *theoria evolutionum* vulgo vocatur, singulares quasdam scientiae medicae partes, embryologiam comparativam, morphologiam elementarem, metamorphoses, quae vocantur, aetatum et sexuum, morborum cum organismis simplicioribus convenientiam, et quae alia ad vitae historiam conferre visa sunt, quam diligentissime sunt persecuti. Neque hoc frustra factum fuisse, praeter alia, quae laudari merentur, praeclara quaedam docent doctrinae specimina de vario epidemiarum per hominum mundique aetates cursu.

Attamen et hanc methodum sua laborare imperfectione, neque solam sufficere ad declarandam, qua opus est, hominis et rerum externarum naturam, nostro demum tempore intelligere coeperunt medici, vere opinantes, firmissimum medicinae fundamentum nec in *naturae philosophia*, neque in *naturae historia*, verum in universa *naturae scientia* esse quaerendum.

Hoc igitur recentioris medicinae ingenium est, ut accurata naturae cognitio sola habeatur illius interpres, et vero nulla ad eam discendam aut perficiendam probetur methodus praeter empiricam, observationibus et experimentis superstructam. Itaque non amplius iam, ut antea fieri solebat, in exploranda rerum natura medici incipiunt, ubi physici desinunt (qua sententia multos, ut ignorantiam suam contegerent, abusos esse constat), ad propriam vitae legem, tamquam Deum ex machina, saepissime recurrentes; sed contra, ad physicorum similitudinem, ab universis naturae legibus humanae quoque naturae interpretationem, pro maxima parte, petendam esse existimant. Sic igitur intelligimus, Physicam, Chymiam, Anatomiam, Pharmacologiam experimentalem, et quae alia disciplinarum genera ad accuratam ducunt organismi viriumque huic insitarum analysin, sola fere haberi praesidia, quibus ad rerum medicarum cognitionem perveniatur, tum etiam subtilem potissimum physicorum et chymicorum esse experiundi artem, quam medici sibi imitandam proponant. Qua quidem via hoc profecimus, ut, si nondum absoluti operis extremum assecuti simus, praeclara tamen inchoati operis iacta sint fundamenta.

Absolvi A. A. H. H., priorem maioremque orationis partem, et felicem me praedicabo, si ex iis, quae dicta sunt, intellexeritis, quanti in re medica aestimari oporteat genuinum naturae studium.

Iam denuo benignas mihi praebeatis aures, dum in parte altera breviter dicturus sum de Literis cum naturae studio coniungendis.

Si experientiam recte dixerimus omnis artis et scientiae medicae fundamentum, et sic nobis constiterit, in utraque probandam praesertim esse methodum physiologicam, nunc quidem a commendando Literarum studio prorsus abstinerem, nisi mihi persuasum esset, in his maximum positum esse praesidium, tum ut in ipsa observandi arte proficiamus, tum ut brevis experientiae nostrae copiam augeamus observatis atque inventis aliorum,

tum vero, ut naturam recte interpretari possimus et intelligere, tum denique, ut animo nostro praebeatur pabulum, quo nutriantur virtutes, quibus in arduo medendi negotio, tam in aliorum, quam in nostram gratiam, indigemus.

Itaque, primo loco, hanc germanae experientiae medicae naturam esse censemus, ut maxime indigeat historiae et philosophiae luce, ideoque earum disciplinarum adminiculo, quas communi literarum nomine comprehendimus. Ut igitur in observanda et exploranda natura recte procedamus, sano praesertim opus esse videtur et subacto iudicio, ad quod acuendum et perficiendum, tum aliorum exempla magnum habent momentum, tum vero docta et accurata scientia plurimum confert. „Neque enim, qui rationalem „medicinam profitentur," ut Celsus monuit, „inficiantur, experimenta „quoque esse necessaria, sed, ne ad haec quidem aditum fieri potuisse, „nisi ab aliqua ratione, contendunt." Hunc igitur aditum suppeditant scientia atque doctrina, quae si cum disciplinis naturalibus dextras iungant et amico foedere consocientur, dici vix potest, quantum mutuis opibus sibi invicem possint auxiliari.

Testor illustrissima Boerhavii atque Halleri exempla, qui, ut constat inter omnes, in naturae studio mirifice excelluerunt, et in legendis medicorum, tam veterum quam recentiorum, scriptis adeo incredibilem posuerunt industriam, ut omnem omnium temporum memoriam tenuisse dicantur. Neque nostra aetate eiusmodi desiderari exempla, testes sunt, ne vivos nunc excitem atque sic aut in adulationis aut invidiae culpam incurram, Curtius Polycarpus Ioachimus Sprengelius, Stephanus Endlicherus, Carolus Prichardus paucique alii eximii viri, quorum quippe labores accuratam et multiplicem exponunt doctrinam, cum ipsius naturae studio quam diligentissime coniunctam. Aut quo tandem alio modo, ut in maximis et simul notissimis exemplis maneamus, quo, inquam, alio modo Georgium Cuvierium et, quem rebus humanis nondum ereptum esse gaudemus, Alexandrum Humboldtium ad eam laudis pervenisse censetis celebritatem, cuius magnitudinem non nostra solum admirata est aetas, sed vix minus admirabuntur nepotes? — Itaque his aliisque exemplis docemur, in observandis et explorandis naturae rebus ad nullam perveniri posse praestantiam sine scientia atque doctrina, quarum quippe luce carentes, fieri non potest, quin veritatis quaerendae et inveniendae viam ignoremus, et in errores

subinde incidamus gravissimos. Etenim, nisi quis didicerit, quid explorari oporteat, quo modo, quo tempore, quibus adminiculis quibusque cautelis opus sit, nae ille parum in arte videndi proficiet, comparandus utpote fere cum homine, qui, nullo modo praeparatus et paene indoctus, homines visurus et urbes, longe lateque peregrinatur, sed redux, praeter iacturam temporis, nullum reportare solet itineris fructum. Itaque intelligetis A. A. H. H., solos *corporis* sensus per se parum valere, si quis bonae frugis experientiam sibi parare cupiat, sed maxime opus esse nobilissima, et quae ceteris omnibus imperet, *animi* vi, quam rationem vocamus. Haec si in explorandis naturae rebus praesidium teneat et viam monstret, et omnes dirigat gressus multasque cautiones praecipiat, vix dubium est, quin, quam unam cupimus quaerimusque, eam consequi possimus *experientiam rationalem*, in qua omnem scientiae et artis medicae vim residere, una et consentiens intelligentium vox est.

Si altero loco dixerim, opus esse observationibus atque inventis aliorum, ut, quae ipsi observaverimus aut experti simus, augeantur et amplificentur, iam statim suspicor fore nonnullos, qui huic doctrinae et scientiae laudi multum detrahi opinentur Sydenhami aliorumque medicorum exemplo, in quibus ignorantia eorum, quae ab aliis praestita erant, compensari et resarciri videbatur ingenii felicitate et nativa quadam artis observandi excellentia. At vero his respondendum esse censemus, tum eiusmodi capitalia ingenia, quale Sydenhami fuit, raros esse nantes in gurgite vasto; tum, quae bona et laudabilia sunt, fieri posse meliora et maiori etiam laude digna; tum denique, Sydenhamum ipsum, epidemiarum initio, fortasse eos, quorum vitam periclitatam esse fatetnr, interdum potuisse servare, si aliorum observata magis curasset.

Itaque a nemine, ne Sydenhamo quidem excepto, observationes et experimenta aliorum impune negligi posse existimamus. Quodsi enim medicina recte dicatur temporis filia, ideoque nec unius hominis scientia sit, neque unius aetatis debeatur industriae, quis est quin videat, omnem doctrinam nostram fore imperfectissimam, si studia nostra intra loci temporisque, quae ad unam hominis aetatem pertinent, angustias contineantur. Si igitur, inter veterum medicinam eamque, qualem nunc habemus,

scientiam medicam instituta comparatione, fortunas nostras maxime laudandas esse putemus, simul, ut homines veri amantes decet, fatebimur, multis multorum laboribus et communi omnium aetatum omniumque populorum sollertia opus fuisse, ut tandem ad excellentiam aliquanto maiorem veniremus. Quodsi autem, post plurima demum aliorum experimenta iterataque studia et longe plures etiam commissos errores, nobis ad gradum altiorem in scientia et arte escendere licuerit, ne obliviscamur eorum, quorum humeris innixi paulo longius prospicimus. Neque hoc solum faciendum est, ne impietatis culpam sustineamus, sed etiam, ut nostra ipsi commoda promoveamus. Sine accurata enim scientia ars salutaris cogitari non potest; de medica antem disciplina non minus quam de aliis valet, *accurate* scire esse *historice* scire.

Praeter ea vero curandum est, ne in artis difficillimae studio et in hac vitae humanae brevitate, omnia a nobismet ipsis observari aut experimentis indagari posse putemus. Quo magis enim nobiscum habitemus et quo melius sciamus, quam sit nobis curta supellex, eo certius intelligemus, maiorum nostrorum et aequalium observatis atque inventis opus esse, quibus experientiam nostram augeamus et amplificemus. Nam in hac temporis nobis ad vivendum a natura praescripti brevitate, homines singuli, vel maxima diligentia usi, in ea arte, quae non terrarum sed ipsius demum naturae finibus circumscribitur, vix aliquid, quod laude dignum sit, praestare possunt, nisi multos multorum labores in suos usus convertere sciant, aut ex alienis periculis sibi cavere didicerint. Hoc demum modo artem, quam suo iam tempore longam dixit Hippocrates, aliquanto breviorem facere vitaeque nostrae cancellos quasi extendere nobis licebit. Si quis enim cum principum medicorum scriptis, bis mille annorem experientiam continentibus, amicam familiaritatem contraxerit, quidni hunc longaevum esse, aliosque homines vitae longitudine multum superare dicamus? Accedit etiam hoc, quod docta rerum, alio tempore locoque gestarum, scientia praesertim indigeamus in Pathologiae historicae, Geographiae medicae aliarumque disciplinarum gratiam, quae nostra praesertim aetate laudabilem excitarunt medicorum industriam, quibusque disciplina nostra, quae inter artes ingenuas et liberales suum tuetur locum, prorsus nequit carere, nisi rebus utilissimis et splendido ornamento eam orbari velimus.

Tandem, ut hoc unum addam, diligenti historiae et literarum studio, et quam huic debemus, exquisita doctrina hunc consequi poterimus fructum, ut experientiae nostrae addamus fidem. Si enim quaeratur, quare experientiam *fallacem* dixerit Hippocrates, respondemus, eiusmodi intelligenda esse observata et experimenta, quae aut imperfectionis notam prae se ferunt, aut a singulis hominibus facta, nondum aliorum testimonio sunt comprobata. Nimirum experientia subiectiva, quae vocatur, non minus erroribus obnoxia esse solet, quam subiectivum iudicium. Quapropter vix fidem merentur observata singularia, nisi confirmentur consensu quodam communi, aut saltem virorum in arte principum testimonio. Quemadmodum igitur observata aliena nostris confirmari debent lucubrationibus, nisi alios semper sequi et servili pecudum generi aequiparari cupiamus, sic vicissim, quae ipsi observasse nobis videmur, repetitis demum aliorum experimentis poterunt comprobari. Sic aetas docet aetatem et coniunctae vires plurimum valent in faciendis aut perficiendis, quae unius hominis sagacitatem et diligentiam superant.

Aliud, idque eximium, in literarum studio positum est adiumentum, ubi quaestio est de rebus naturalibus, quas medici curant, intelligendis. Nimirum libri, qui alienae experientiae fructus continent, et ipsius Naturae liber, qui in omnium gratiam apertus, infinitam lectionis copiam et varietatem suppeditat, hoc inter sese commune habent, ut solum scientibus prosint aut scire cupientibus. Praestantissima enim, quae tamquam multorum haereditatem accepimus, aliorum observata atque inventa, nostraeque, quas ipsi fecimus, observationes omni fere usu carebunt, nisi ea recte intelligamus intellectaque adhibere sciamus. Quid enim in arduo medendi negotio proficeretur, nisi ex morborum formis, quae observatione sensibusque cognoscuntur, eorum natura, quae ut plurimum intus latet et a sensibus remota est, probabiliter posset intelligi?

Itaque ad naturae observationem accedere debet naturae interpretatio. In hac tunc demum proficiemus, si non solius corporis sed animi quoque oculis omnem rerum formam ac speciem, omnem earum vim ac naturam explorandam esse noverimus. Nisi enim iudicium adhibeatur usu et doctrina subactum, tum in interpretando naturae libro, tum in intelligendis veterum

medicorum scriptis maiorumque nostrorum institutis atque inventis, metus est, ne saepissime incerti haereamus. Etenim inter utrumque, quem vocavimus, historiae et naturae librum hanc quoque communionem adesse scimus, ut ex eadem re, ex eadem observatione, ex eodem experimento argumenta subinde diversissima peti videamus. Quod ubi fit, quomodo assequi poterimus veritatem, nisi testimonia potius ponderanda quam numeranda esse sciamus?

Intelligitis A. A. H. H. eam, qua medicus indiget, naturae explorationem et cognitionem minime absolvi eo, ut diligenter cognoscamus aliorum de rebus sibi observatis testimonia, et ut ipsi sedulo observemus, aut experiundo extricemus, quae natura vel sensibus nostris ultro offerat, vel recondita servet, sed alterum accedere debere scientiae adminiculum, ut videlicet eorum, quae invenerimus, nexum videamus mutuasque necessitudines, utque uniuscuiusque rei, totiusque, quod contemplamur, rerum universi rationem aliquam assequamur probabilem. Itaque in rebus quoque medicis philosophari oportet, id est, exculto iudicio sive ingenio critico opus est, ne in rebus singularibus ordinandis, inter se comparandis et probabiliter explicandis erremus gravissime. Hoc enim mentis lumine carentibus, quo demum modo nobis scire liceret, quam fidem sensuum testimonio haberi oporteat, quae sit veri falsique nota in aestimanda scriptorum auctoritate, quis sit nexus rerum, quas ipsi vidimus aut viderunt alii, qua cautione opus sit ne fallamur, ubi ex effectibus causas rerum eruere conamur, aut ubi per inductionem ex specialibus ad generalium notitiam pervenire cupimus? Quodsi contra sana et sobria, quae a sensu communi orditur, philosophia veritatis inveniendae muniat viam, medicus filum sibi nactus videbitur, quo ex ambagibus, in quas aut suarum aut alienarum observationum dissensu ducitur, feliciter sese expediat et, in viam rectam reductus, finem sibi propositum assequatur, in suum aliorumque commodum.

Tandem, neque haec doctrinae et eruditionis infima laus est, literas haberi oportet morum et humanitatis magistras, tum etiam in ipsa artis factitatione, ubi in medias hominum calamitates ducimur, gratum animi solatium et oblectamentum. Tune igitur censes, dixerit fortasse quispiam,

linguae graecae latinaeque cognitionem multum profuturam esse aut chirurgo, ut ossa fracta committat, aut medico, ut tertianae febri medeatur? Audio, et ego, fateor, hac de re dubitarem, nisi mihi persuasum esset (ne nunc dicam de literarum notione melius definienda), longe potiorem hominis aegrotantis quam morbi rationem habendam esse, maioremque saepe animi quam corporis afflicti curam requiri. Quod si verum sit, ut est verissimum, medicus profecto artem vere salutarem exercere non poterit, nisi probitate et humanitate excellat. Itaque non a sola doctrina et medendi peritia, sed etiam ab animi et morum excellentia, quam vix uno nomine appellare possumus, praecipua proficiscatur medici commendatio. Quodsi enim sic, ut oportet, aliis vivere cupiat et prodesse, studeat omnino excellere probitate, benevolentia, benignitate, honestate, urbanitate, omnique genere virtutis. Singulae istae animi dotes, si coniunctae et consociatae fuerint, unam et perfectam efficiunt virtutem, in amore Dei et in omnium hominum caritate fundatam, cuius praeclaram et augustam imaginem tacite admirari, quam laudare, facilius est. Quodsi autem hanc humanitatem, quo nomine universam virtutis amplitudinem complecti liceat, itineris ducem ac sociam habere cupiamus, vix aliud aut efficacius ad eam colendam et perficiendam invenire poterimus praesidium, quam literas, quae ab ipsa humanitate nomen adeptae sunt et ad humanitatis studia pertinent. In his enim, quis est, quin vel levissime initiatus, videat, saluberrima contineri recte vivendi praecepta, et vero abundare hominum optimorum et cultissimorum exempla, quorum splendore animi nostri ad virtutis studium et imitationem alliciantur?

Idem fere dicendum est de animi consolatione et oblectamento, quibus, si quis alius, maxime indiget medicus, qui dies noctesque, in mediis hominum aerumnis vivit, et vero, aliis inserviendo, consumitur. Nec tamen animum laxari posse aut poculis, aut conviviis, aut chartis lusoriis, quis est quin videat, si secum reputet gravitatem ministerii, cui hominum vita committitur, res utique sanctissima? Neque etiam sermo est de excitanda hilaritate aut petulantia, sed de promovendis animi robore et constantia, quibus gravissimos labores, curas, vigilias et omne molestiarum genus aequabiliter tolerare, quibus nostrum aliorumque dolorem levare possimus. Hoc facere cupientes, ecquid, amabo, aliud praesidium, homine

dignum et satis perpetuum invenire poterimus praeter studia literarum, quae secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent? Aut quis nostrum, Auditores, in suo ipse animo adeo hospes ac peregrinus est, quin expertus didicerit, quid in mitigandis vitae malis, in levandis miseriis, in depellendis fastidiis valeant literarum humanitas et eximiae virtutis exemplum, ad cuius expressam imaginem nosmet ipsos informare possimus?

Plura addi possunt; sed brevi praecidam, ne in amoenissimo loco versatus, latius excurram, quam loci et temporis opportunitas sinere videntur.

Quodsi igitur Vobis, Auditores Humanissimi, persuadere potuerim, naturae et literarum studium in re medica esse coniunctissimum et alterum alterius lumine, complemento, auxilio non posse carere, causam meam iam peroratam esse censerem, nisi in eorum gratiam, qui in medicina discenda suam collocant operam, pauca quaedam addenda esse viderentur monita sive praecepta, ex iis, quae disputavimus, proxime derivanda.

Et primo quidem loco hos monendos esse existimo, ut utramque, quam in re medica commendavimus, studiorum methodum, physiologicam atque historicam, sedulo coniungendam, neque alteram alteri posthabendam esse intelligant. Quodsi enim, utramque viam ingressi, unum idemque habeamus propositum, accuratissimam nimirum, qua medici indigemus, hominis et naturae notitiam, neutram sine gravissimo damno intactam relinqui posse videbimus, utpote scientes, quemadmodum in naturae studio rectam, sic in librorum lectione indirectam nobis esse cum homine ceterisque rebus naturalibus consuetudinem. Ecquid igitur audiamus eos, qui magnopere celebrantes studiorum medicorum rationem, hoc demum tempore melius intellectam, solas scientias physicas, inter quas ipsam medicinam collocari cupiunt, maxime commendant, sed literarum humaniorum studium a futuris medicis minus curandum, ne dicam, tamquam inutile membrum resecandum esse existimant? Quasi vero studia mathematica, physica, chymica, botanica, zoölogica, quas disciplinas nos etiam medicorum ministras et vel perpetuas comites esse cupimus, sufficerent sola ad eum excolendum veri pulcrique sensum, quo medicus neque in studiis suis recte regendis, neque in arte exercenda impune carere potest! Esse autem nostra aetate medicos, qui, non nisi suam aut aequalium admirati sapientiam, omnem superiorum

temporum memoriam pessime negligant, quasi medicina saeculi decimi noni aut postremi decennii esset inventum, tum, si argumento opus sit, plerique recentiores de rebus medicis conscripti libri probant, tum ipsa declarant medicorum, et inter hos virorum, qui satis magnam nominis famam adepti sunt, testimonia; quibus si obsequantur iuvenes, quotquot studiis medicis initiari cupiunt, non solum graecas latinasque literas non valde desiderabunt, sed vel cum Pragensi illo Medicinae doctore, cuius scholas vel exteri adire solent, existimabunt, in academiis iam non amplius opus esse cathedra, ex qua historia medicinae doceatur: Attendite, quaeso, et videte, quorsum se abduci sinant, qui a partium studio sibi cavere nesciunt, quique de suis suorumque temporum laudibus tam magnifice sentiunt, ut viam prorsus novam munitam esse, neque amplius de priorum vestigiis quaerendum esse existiment.

Si tamen, quod minime inficiamur, diligentissimum naturae studium futuris medicis maxime commendandum sit, secundo loco monendi sunt iuvenes, ut ad hoc melius praeparati accedant, quam quidem adhuc fieri solet. Quicunque enim in naturae templo magis, quam in museo literario, habitare sibi proponunt, alia fere *προπαιδείᾳ* sive praeparatione indigent, quam quae opus sit futuris literarum cultoribus. Licet enim et hi in naturae rebus accuratius cognoscendis operam suam cum fructu eximio collocare possint, quarum quippe eontemplatione pulcri bonique sensum mirifice excitari sciamus, quemadmodum illustria docent poëtarum, oratorum, philosophorum et historicorum ex omni aevo exempla, per excellentiam tamen, quod nemo dubitabit, ut opinor, futuri medici sic praeparandi sunt, ut in arte observandi prae aliis excellere possint. Haec qualis esse debeat ad naturae studium praeparatio, ipsa rei ratio satis declarat. Etenim si in observationibus et experimentis praesertim sensuum ministerio opus est, hos non solum integros et natura bene valentes, sed etiam usu exercitatos et excultos esse oportet. Adhibita vero exercitatione et arte sensuum vim ac iudicium maxime posse augeri, quotidiana exempla satis aperte declarant. Quodsi autem opifices sola oculorum consuetudine admirabilem adipiscantur dexteritatem, aut si artium elegantiorum cultores quam plurima in pictura videant vel in cantu audiant, quae ne suspicantur quidem homines in eo genere minus exercitati, parum profecto abesse

opinamur, quin futuri etiam medici usu et exercitatione aciem sensuum suorum ac fidem multum augere, et sic ad arctissimam cum natura consuetudinem et familiaritatem optime praeparari possint. Quod si verum sit, iam tenera puerorum aetate utendum esse censemus, ut, aliis non neglectis, sensuum cultura fiat et congrua educatio. Cui quidem sententiae ipsa natura suffragari videtur. Quemvis enim, si modo aliquam habeat ingenia spectandi solertiam, experientia docet, tum magna rerum naturalium varietate ac specie ingenia puerorum maxime allici, tum insignem his propriam esse curiositatem et sciendi cupiditatem, ita ut, quaecunque videant vel audiant, accuratius explorare et cognoscere studeant. O praeclara vitae magistra natura! Tuam aperte monentis vocem si audirent, qui puerorum animos formare cupiunt, longe alio modo quam nunc fieri solet, primae institutionis initium facerent. Intelligerent quippe sensuum facultatem primam esse, quae in homine appareat, ideoque et primo loco esse excolendam. Interim huic naturae praecepto, tum in domus paternae umbra, tum in scholis, ubi pueri elementa docentur, tum etiam in Gymnasiis, tam parum satisfieri solet, ut maiorem fere in erudienda canis sagacitate operam collocari videamus, quam in exercitiis, quibus puerorum sensus perficiantur. Quodsi igitur quaeratur, quaenam adhucdum desideretur ad academica medicorum studia praeparatio, respondendum est, desiderari educationem sensuum. Nisi enim habitum et promptitudinem bene recteque videndi iam in scholis et Gymnasiis adepti sint iuvenes, et nisi iam ea aetate didicerint res singulas, etiam minimas, magis distincto ordine contemplari et explorare, metuendum est, ne academica institutio pro maxima parte frustretur. Quum autem, quae Rousseavius de educatione omnino dixit, eam minus praeceptis quam exercitiis contineri, ad sensuum potissimum eruditionem transferri mereantur, neminem fore opinor, qui sic nimium a me postulari existimet.

Si temporis genium consulamus, tertio loco, medici monendi videntur, ne in specialium studio toti sint et sic artis suae magnitudinem et integritatem aut ignorent aut parvi faciant. Licet enim laudemus in explorandis rebus singularibus, nostro praesertim tempore, laudabiliter collocatam hominum plurimorum industriam, intelligentes non parum profectum esse,

si in vastissimo scientiae et artis medicae campo plures cernantur agri, ante prorsus neglecti, nunc autem tam diligenter exculti, ut laetos iam tulerint fructus et messem uberiorem promittant; at vel sic tamen cautione quadam opus esse et moderatam prudentiam requiri censemus, ne virtus vertatur in vitium. Etenim labor, qui in rebus tantum paucis, singulis, discretis, omnino subsistit, multiplici rerum diversarum nexu et mutua coniunctione prorsus neglectis, quem alium ferre poterit fructum, praeter exiguam et mancam doctrinae copiam, ad vitae usum, qui ab omni abhorret partium studio, parum accommodatam? Quodsi igitur, pro more hodierno, singulae, quae medicorum sunt, disciplinae in portiones minimas secari pergant, sique singuli non nisi eiusmodi portionem singularem, eamque satis exiguam, sibi sumant elaborandam, ceterarum, ut fieri solet, multo negligentiores, utique metuendum est, ne specialia tractantes et non nisi in singularibus occupati, universam medicinae rationem et arctissimam doctrinarum, quae ad hanc pertinent, societatem minus recte perspiciant aut penitus negligant, utque iuvenum ingenia, quae undique ali cupiunt, sic nimia rerum singularium multitudine confundantur potius, quam ornentur et instruantur. Itaque hi, ut ex specialium studio laudabiles fructus reportent, mature intelligant, rerum naturae vim atque maiestatem, ut recte Plinius monuit, in omnibus momentis fide carere, si quis modo partes eius ac non totam complectatur animo. Quod si verum sit, Specialistarum, ut vocantur, laboribus sic utendum esse censebimus, ut ex reclusis rerum singularium mysteriis universum rerum organismum accuratius cognoscere studeamus. Hoc autem consilium ubi ante oculos semper habemus, ex scriptis monographicis, quibus aetas nostra abundat, multa lucrari poterimus eamque consequi doctrinam accuratam sive eruditionem medicam, qualis ab omni tempore maximas habuit laudes. Haec non rivulos sectatur aut disiecta corporis membra, at vero integram et universam scientiam artemque complecti studet, ideoque, licet quandoque, quae hominum quorumdam levitas est, in vituperium potius quam in laudem vertatur, praeclarum haberi meretur vitae ornamentum et ad promovendam, quam spectamus, aliorum salutem praesidium efficacissimum.

Hanc hominum salutem spectantes, minime ignorabimus artis nostrae

finem atque consilium. Intelligemus quippe artem, quam salutarem vocamus, in hominum gratiam esse inventam et utilitatis causa posteris tradi, nec vero contra in artis gratiam esse homines, qui vario morborum genere affligantur. Quod si verum sit, perspicietis A. A. Humanissimi, quare ultimo loco moneamus, curandum esse, ne methodo physiologica, cuius praestantiam praedicavimus, medici abutantur ad ipsos aegrotantium lectulos. Quod quidem facere mihi videntur, qui nullam observatis aliorum fidem habentes, ipsa morborum auxilia nunc demum invenienda esse censent, et medicam praxin habendam esse existimant pro arte experimentali. A quorum iudició quantum dissideam, non pudet me publice profiteri. Licet enim concedam, in hominum aegrotantium cura, subinde ex iuvantibus et nocentibus intelligenti medico ipsam morborum naturam accuratius patefieri, ideoque saepe, ut Celsi verbis utar, aliorum salute aliorum interitu, perniciosa discerni a salutaribus, maxime tamen improbandi mihi videntur medici, qui hac sola methodo utuntur, quasi semper discendum sit periculis alienis et experimenta agere liceat per mortes. In quem gravissimum errorem, ut chirurgos taceam, si Gabrielem Andralium, Iohannem Cruveilhierium et alios non mediocres viros incidisse videamus, utique monendi videntur futuri medici, ne his aliisve exemplis seducti, in quovis fere morborum genere periclitentur, quid natura ferat aut faciat, immemores praecepti, quo prodesse et non nocere iubemur. Si quis enim, ubi a certis et exploratis remediis peti potest praesidium, novis semper utatur, aut si quis ratione arithmetica de varia medendi methodo iudicium ferri posse existimet, parum profecto abest, quin graviter peccetur tum contra notissimam Ethicae legem, quae praecipit, ne, quod nobis fieri nolumus, id faciamus alteri, tum etiam contra ipsam rationem, quae satis aperte declarat, nunquam inveniri posse remedia, quae in eodem aut simili morbi genere, singulis conveniant aegrotantibus, aetate, sexu, temperamento, corporis animique viribus et vivendi genere longe diversis. Neque enim eadem omnibus, etiam in similibus casibus, opitulantur; sed pro natura locorum hominumque diversitate, genera medicinae maxime differunt. Renuntiemus itaque inani studio inveniendae methodi generalis, et vero, prudentiam primum medici officium habentes, sacro sancto vitae tuendae munere sic veluti oportet, id est, religiose fungamur, quo magis nostro etiam

exemplo confirmetur amica inter probitatem et medendi peritiam conspiratio; qua neglecta omnis ars nostra perniciosa potius vocanda erit quam salutaris.

Superest, Auditores Humanissimi, ut vobis enarrem, quae aut tristia et adversa, aut laeta et prospera, superiori anno, Leidensi scholae contigerint.

In rebus igitur tristibus, quae Academiae cum universa patria fuerunt communes, et temporis ordine et luctus amplitudine, primum locum tenet clades gravissima, quam ex Guilielmi II, optimi regis, morte percepimus. Quo quidem acerbissimo casu non solum, ubi res accidit, vehementer contristati sumus, sed adhuc, licet tempus aliquam vulneri cicatricem induxerit, affectus nostros graviter commoveri sentimus. Abstinerem igitur a renovando dolore, nisi hac ipsa communis luctus renovatione pie grateque optimo Regi parentandum esse censerem. Huius autem memoriam quominus ulla sit deletura dies, praeter generis nobilitatem, eximiae vetant animi dotes, quibus amorem sibi conciliaverat omnium. Ut vero ob animi magnitudinem, comitatem, liberalitatem, rerum bellicarum peritiam aliasque virtutes, quas admirati sumus aequales et laudabunt posteri, omnium omnino civium animo grata et accepta manebit defuncti regis memoria, sic quoque hanc sanctam servabit Academia, cuius laudes cum monumentis historicis arctissime coniunctae esse censentur. Non solum enim hic, cuius iacturam dolemus, ex eadem fuit gentis Arausiacae stirpe, quacum perpetuam fere habuit Academia Leidensis, tam belli quam pacis tempore spectatam, necessitudinem; sed ipse etiam, quanti faceret academicam institutionem, ante hos quindecim, et quod excurrit, annos, magnifico probavit exemplo, quum filios dilectissimos hoc ipso loco, intra Leidenses muros, doceri iusserit et erudiri. Tum vero Guilielmum II venustis artificum operibus in pictura, sculptura, caelatura, statuaria, architectura similique genere magnopere delectatum esse, nemo fere est, qui ignoret. Denique, ut alia nunc taceam, si in memoriam nobis revocemus, hoc fere postremum fuisse optimi regis praeclare factum, ut praestantissimis aliquot et in vario doctrinae genere excellentissimis viris, inter quos ex nostratibus Ewijkium, Bakium et Wallium fuisse gaudemus, perficiendarum rerum academicarum curam mandaverit, tunc utique nulli dubitabimus, quin rex modo augu-

stissimus propensum quoque in literas habuerit animum. Itaque nobis etiam sancta maneat Regis Guilielmi II memoria!

Dolorem autem et laetitiam sibi per vices succedere, mox ego et collegae quidam experti sumus, ubi Guilielmo III, in patris locum suffecto, de calamitate ex genitoris obitu perpessa, Senatus academici verbis, moestitiam nostram significavimus et simul de imperio, quod interim auspicatus erat, gratulati sumus. Tunc quippe augustissimum regem (cuius imperio benigne annuat et secundet providentia Dei!) haec, praeter alia, pronuntiantem audivimus verba, quae coram vobis, A. A. Humanissimi, quum magnam laetandi contineant causam, sic ut excepimus auribus, repetere lubet: „Academiam vestram, inquit, Leidensem equidem maximi facio; et huius quidem loci, ubi altus et doctus sum, memoriam nulla umquam delebit dies. Vel nunc intelligo, academicam institutionem mihi plurimum profuisse. Apage parcos istos literarum et eruditionis cultores, qui de academia una aut pluribus delendis locuti sunt. Horum sermones et ego subinde audivi cum indignatione. Ignorare mehercle videntur, ut eiusmodi sapientiae scholae expensas cum usuris reddant abunde, et ut in iisdem praecipuum contineatur patriae ornamentum. Quod ad me attinet, qui academiarum laudibus aliquid detrahant, equidem istos similes fere reor, ac si qui dicant, nec in exercitu vexillum opus esse, ad quod concurratur, nec pugna finita, tropaeum, quod ponatur victoribus."

Ad exemplum regis, qui ita locutus est, si nostrorum hominum ingenia componantur, nullam desperandi causam habebimus, et vix dubium erit, quin sub vestris auspiciis, Curatores Amplissimi, tum antiquam suam famam Academia servatura sit, tum ad maius etiam perfectionis fastigium perventura. — Ex vestro Ordine neminem nobis morte ereptum esse, admodum laetamur. — Universas res nostras vobis, viri amplissimi, denuo commendamus quam maxime. — Tum provida vestra cura, tum virorum doctissimorum, qui iis praefecti sunt, labore et studio Bibliotheca, Nosocomium, hortus Botanicus, specula Astronomica, apparatus physicus et oeconomicus, Musea varia, anatomicum, antiquarium, numismaticum, alia, sive disciplinis ea, sive artibus, sive literis promovendis inserviant, tum

famam suam tueri pergant, tum etiam nova et tempori opportuna, quantum fieri poterit, capiant incrementa, quo magis magisque vere et omnium consensu, schola Leidensis locus mereatur vocari studiis aptissimus, domus Musis sacra, orbis terrarum compendium!

Vestrum Ordinem quum intueor Collegae coniunctissimi, in eo magnam laetandi habeo causam, quod omnes, qui superiori anno his solemnibus celebrandis interfuistis, adhuc sitis superstites sani salvique: quin adeo et veteranis omnibus integritatem corporis animique possum gratulari: quin etiam, quod ad hos attinet, impense laetor, Clar. Macquelynium, nuper gravissimo morbo afflictum, feliciter nobis servatum esse.

Neque tamen, ut nobis hominibus evenire solet, vita nostra privata ab omni clade immunis fuit.

Tecum enim dolemus, Cl. Stuffken, de acerbissimo casu, quo tibi et numerosae proli iactura facta est irreparabilis. Licet autem admodum flebilem censeamus dilectissimae coniugis obitum, macte tamen, precamur, animo esse pergas, intelligens ex eadem re, quae te tuosque maxime contristavit, carissimam tuam uxorem multum lucratam esse. Teneas, quaeso, quod tibi persuasum esse scio, exitum ex hac vita et aerumnarum fuisse finem et vitae melioris initium.

Est igitur hoc humanae conditionis, ut a laetis ad tristia, a tristibus ad laeta vicissim eamus. Itaque iam officium me admonet, quod libenter facio, ut ad vos animum advertam Viri Clarissimi, quibus superiori anno, festum aliquem diem celebrare licuit et singularia Dei beneficia recordari.

Tibi utique haec contigit felicitas, Cl. Pruys van der Hoeven, ut in media collegarum et discipulorum caritate vivens, corpore et animo vegetus, vicesimum quintum muneris, laudabiliter a te gesti, expleveris annum. Utinam quam diutissime, dum vitae tuae viribusque parcat Deus omnipotens, Academiae nostrae ornamentum esse pergas, tuumque nobis servetur, in quod intueamur, modestiae, doctrinae, probitatis exemplum!

Eadem fere vota habemus pro Tydemanno et Hengelio, Viris Clarissimis, quorum hic, septuagesimo aetatis anno expleto, honorifice rude donatus est, ille, idem otium iam ante duos annos adeptus, superiori anno, grato

animo festi diei celebravit memoriam, quo ante quinquaginta annos, summos in Ordine Iureconsultorum honores erat consecutus. Utrique viro Clarissimo miram corporis animique alacritatem superesse, omnes gaudemus Collegae. Quae si aliquamdiu maneat alacritas, neuter quidem, ut auguramur, indulgebit otio, sed praeclaris doctrinae et ingenii fructibus tum academiae, tum universae patriae civibus prodesse pergent uterque. — Qui autem Tibi Cl. van Hengel, in Theologorum Ordine, ab augustissimo rege constituetur successor, is nobis, precamur, in docendi munere socius sit, qui ingenii dotibus, qui doctrinae copia, qui facundia, qui morum comitate aliisque virtutibus, de docto et liberali Theologiae studio, de academia Leidensi huiusque civibus non minus mereatur, quam te vir clarissime, de his singulis diu et abunde meruisse, grato animo publice praedicamus.

In Iureconsultorum Ordine brevi expletum iri gaudemus locum, quem vacuum reliquit, ad altiora vocatus, Cl. Thorbecke. Qui vir Cl. si ea conditione eoque eventu ex scholae umbraculis in solem ac pulverem processerit, ut salus patriae, quae omnes omnium caritates complectitur, stabiliatur et amplificetur, erit profecto, quod laetemur et abunde compensatum existimemus insigne damnum, quod ex viri Cl. iactura Leidensis academia fecit. — Utinam hanc, sic ut in votis habemus, nobis reparaturus sit vir Consultissimus Vissering, cui vacantem cathedram ab augustissimo rege, bono successu, oblatam esse cognovimus!

Peerlkampio nostro ut honestum, quod ex voluntate sua consecutus est, gratulamur otium, ita tamen dolemus, adversam maxime valetudinem fuisse in causa, quod Vir Cl. de academica statione, quam per viginti quinque annos et ultra ornaverat, decedere cupierit. Cuius optimi viri egregia institutione quum orbatos videmus cives nostros academicos, tanto magis id dolemus, quo magis cogitamus ea, quibus vir praestantissimus et de nostra academia et de literis optime meruit. Utinam de his bene mereri pergat et suavissimo otio literario diu fruatur!

Tibi, Doct. Dozy, honorificam gratulamur provinciam, nuper ab augustissimo rege in te delatam. Academia L. B., quae te civem suum et

alumnum gloriata est, quod te sibi vindicaverit et doctorem publicum nacta sit, est, quod impense laetemur. Quo magis autem ea, quae a te docebuntur, ad vitae usum et ornatum sunt accommodata et quo magis allicere solent iuvenum ingenia, quippe quos in varios populorum mores, ritus, studia omnemque vitae rationem et cultum libentissime intueri sciamus, eo plures tibi nobisque pollicemur studiorum tuorum successus. Hos in tui honorem, in academiae utilitatem, in patriae gloriam redundare iubeat Deus!

De docenda historia cogitare non possum, quin tui memor sim, Clar. Cobet, qui hoc anno has Peerlkampii partes, ne prorsus vacaret cathedra, in te susceperis. Pro his officiis, quae iterum iterumque academiae nostrae praestare voluisti, mea voce, gratum tibi suum testificantur animum academiae cives, qui simul maxime tibi gratulantur auctos, quos consecutus es, honores, quorum fructibus quam diutissime tibi frui contingat. De academica iuventute, ut adhuc fecisti, docendis literis, in quibus prorsus te habitare scimus et regnare, pergas bene mereri, tuoque exemplo excitati discipuli in diligenti literarum studio positum esse intelligant et perennem honestae voluptatis fontem, et praeclarum culturae et humanitatis auxilium, et optimum utilis scientiae ipsiusque veritatis consequendae instrumentum!

De honesta voluptate ex diligenti literarum studio percipienda tibi, suspicor, maxime erit persuasum, vir iuvenis praestantissime Iohannes Corneli Zaalberg, cui haec contigit felicitas, ut in certamine literario de solvenda quaestione, ab Ordine Theologorum proposita reportaveris victoriam. Ut tibi impense gratulor summum hunc doctrinae honorem, sic te discipulum gratulor viris clarissimis, ex quorum schola prodiisti, Theologiae in hac academia Professoribus.

Itaque huc accedas, velim, iuvenis praestantissime, ut ex mea manu, eximium, quod consecutus es, accipias virtutis praemium! Quo quidem iucundissimo munere, a viris clarissimis, qui in certamine fuerunt iudices, invitatus, quam libentissime fungar.

Salve, praestantissime Zaalberg! En accipe doctrinae et eruditionis praemium, quod meruisti.

5

Sic tibi iam gloriae fores apertae sunt, tibique viam laudis ingresso ad maiora et grandiora patefactus est aditus.

Itaque tu eodem, quo coepisti, cursu gnaviter perge et in studiorum tuorum curriculo, ut nuperrime, sic porro etiam experire, nihil esse volentibus arduum. Nummo, quem tibi dedi, insculpta leguntur verba: „Honos alit artes." Idem vero philosophus, cuius haec verba sunt, potiori etiam iure dixit: „fortes et sapientes viri non tam praemia sequi solent recte factorum, quam ipsa recte facta." Tu igitur haec potissimum sequi pergas, et propediem sacro muneri admotus, commendes aliis. Quod si feceris, optima quaevis de te, tuisque studiis, horumque fructibus augurari nobis licebit.

In Vos tandem, Iuvenes optimi, Leidensis Academiae alumni, mea oratio desinit. In vestro Ordine desiderari duos optimae indolis adolescentes, Ioannem Henricum Regenbogen et Guilielmum Georgium Marinum van der Mee, hunc Theologiae, illum Medicinae studiosum, utrumque, post brevissimam in academia moram, subito brevique morbo exstinctos, est quod vobiscum, cum parentibus et amicis graviter doleamus. Itaque his iterum exemplis didicimus, mortem saepissime de improviso pulsare fores et ne florem quidem aetatis ab extremo fato esse immunem. Neque tamen haec cogitatio, generosi Iuvenes, sed longe magis, quae in vobis vestrisque studiis collocata est parentum, praeceptorum et universae patriae spes, optimum et efficacissimum vobis sit, si quo subinde indigeatis, ad omnia, quae bona, honesta et laudabilia sunt, incitamentum. Cogitate, quaeso, saepius, quae apud veterem scriptorem leguntur verba: „Sui cuique mores fingunt fortunam." Hac enim sententia, quae proverbii vim et auctoritatem propemodum nacta est, hoc vobis, in hac statione collocatis, significari censete, omnem omnino totius reliquae vitae vestrae exspectationem ab academica vita pendere. Quod si vobis persuasum sit, agite, in sapientiae et virtutis studio vigiles estote et in utramque sic incumbite, ut a vestris moribus, vestroque ingenii cultu et humanitate praecipuas suas laudes repetere possit, quae nobis curae cordique est, quae instar matris nos diligit, quamque nos vicissim amamus et, quamdiu spirabimus, amare pergemus, Academia Lugduno-Batava!

ACTA ET GESTA IN SENATU

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

A. 1849.

Die 19 Martii. Rector de tristi Regis Augustissimi obitu cum Senatu communicavit.

Die 27 Martii. Rectori et Senioribus mandatum est, ut Regem Guilielmum III Viduamque Regis Augustissimam consolationis caussa adirent.

Die 19 Junii. Rector ad Senatum refert sese cum tribus Senatoribus, die 2 m. Aprilis, Augustissimum Regem consolationis caussa adiisse, legationem benevole et honorifice acceptam esse a Rege, Viduam vero Regiam huic observantiae specimini humanissime renunciasse.

Recitatae sunt literae Curatorum diei 4 m. Junii cum Senatu communicantium responsum Excellentissimi rerum internarum Administri, diei 4 m. Maji h. a., quo Clarissimo Tydeman, Antecessori Emerito, jus datur Juris Studiosos et Candidatos in examinibus interrogandi.

Die 5 Octobris. Lectae sunt literae Curatorum diei 26 m. Junii, quibus Senatui significant, Virum Clarissimum P. Hofman Peerlkamp honorifice rude donatum esse.

Die 27 Novembris. Lectae sunt literae Curatorum diei 25 m. Octobris h. a. nunciantes, Cl. COBET, Professorem Extraordinarium, die 5 ejusdem mensis a Rege dictum esse Professorem Ordinarium in Facultate Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum.

A. 1850.

Die 16 Januarii. Recitatum est Decretum Regium diei 20 m. Decembris a. s., quo Cl. W. A. VAN HENGEL, in Facultate Theologica Professor Ordinarius, propter aetatem septuagenariam rude donatur.

Curatores cum Senatu communicarunt Decretum Regium diei 2 m. Januarii h. a., quo Doctissimus R. P. A. DOZY, Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Dr. et Adjutor Interpretis Legati Warneriani, creatur Professor Extraordinarius in Facultate Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum.

Candidati quatuor apud Regem edendi, e quibus Rector Magnificus in proximum annum Regis Decreto constituatur, designati sunt Viri Clarissimi:

J. DE WAL.
N. C. KIST.
G. J. VERDAM.
T. G. J. JUYNBOLL.

Senatus Actuarium creari jussit ex quatuor his Viris Clarissimis:

H. COCK.
F. G. KRIEGER.
N. C. KIST.
G. J. VERDAM.

Die 6 Februarii. Recitata est epistola Curatorum diei 1 h. m. adjunctum habens Decretum Regium diei 24 m. Januarii, quo Rector Magnificus in annum sequentem creatur Clarissimus J. DE WAL.

Rectori futuro decernuntur a Senatu Assessores Viri Clarissimi:
J. H. Scholten.
A. H. van der Boon Mesch.
J. H. Stuffken.
G. C. B. Suringar.

Literae Curatorum diei 26 m. Januarii attulerunt Decretum Regium diei 18 ejusdem mensis, quo, loco Cl. J. R. Thorbecke, ad internam Regni administrationem vocati, Consultissimus S. Vissering creatur Professor Ordinarius in Facultate Juridica.

Die 8 Februarii. Rector ad Senatum retulit, in Conventu Curatorum, Rectoris et Assessorum e Candidatis designatis Actuarium in proximum annum creatum esse Cl. H. Cock.

Rector cum Senatu caeterisque Professoribus in auditorium majus descendit. Actuarius pro concione Regis decretum de Rectore in annum sequentem creato recitavit, Assessores novo Rectori additos et Actuarium commemoravit.

Rector, adscensa cathedra, dixit orationem *de naturae et literarum studio in re medica conjunctissimo.*

Mox solemnibus verbis deposito magistratu e cathedra descendit et in subsellia rediit.

Novum Rectorem Magnificum Professores deduxerunt et officiosissime salutarunt.

SERIES LECTIONUM

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM INDE A MENSE SEPT. A. 1849 USQUE AD FERIAS AESTIVAS A. 1850.

FACULTAS MEDICA.

G. C. B. Suringar Therapiam generalem docebit, d. Mart. et Jov. horâ XII. et die Saturni . . . . IX.
Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, d. Merc. et Ven. X.
Doctrinam morborum singularium tradet, d. Lun., Mart. et Jov. X.
Praxin medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis . . . . IX.

M. J. Macquelyn quantum rerum suarum ratio patietur, juventutis Academicae commodis inservire paratus est.

C. Pruys van der Hoeven Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . I.
Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . . I.

F. W. Krieger Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . VIII.
Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit, diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni . . . XII.
Collegio casuali, diebus Martis et Veneris . . . . XII—III.
Operationes Chirurgicas, tum etiam Vincturarum et Fasciarum doctrinam demonstrabit, tempore opportuno, singulis diebus Saturni . . . . X—XII.
Doctrinam de morbis oculorum exponet, horis dein indicandis.
Medicinam Forensem, die Lunae et Jovis . . . . I.

A. E. Simon Thomas, Prof. Extraord., Theoriam Artis Obstetriciae exponet, diebus Martis, Jovis et Saturni . . . . horâ VIII.

Operationibus obstetriciis tum in pelvi factitia, tum in cadavere instituendis, praeërit die Mercurii . . . . I.

Gynaecologiae et gynaecopathologiae capita selecta tradet, horis auditoribus commodis.

Praxin Obstetriciam in Nosocomio Academico, quoties necesse erit, moderabitur.

H. Halbertsma, Just. Fil., Prof. Extraord., Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . . X.

Physiologiam observationibus microscopicis illustratam, iisdem diebus . . . . IX.

Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . XI—III.

F. W. Krieger et H. Halbertsma disputandi exercitiis publicis praeërunt, die Jovis . . . . III.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. Tydeman Emeritatum nactus et cessans a praelectionibus, non tamen cessabit in studiorum suorum fructu lubenter communicando.

C. J. van Assen interpretabitur libros Digestorum, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . IX.

Institutiones Juris Civilis Romani, d. Lun., Mart. et Merc. X.

Gaji Commentarios Institutionum, cum selectis auctorum classicorum locis, jus civile Romanum illustrantibus, diebus Jovis et Veneris . . . . XI.

Jus Civile hodiernum, diebus Lunae, Martis et Mercurii . II.

die Jovis . . . . X.

Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam cum exercitationibus forensibus, die Jovis . . . . IX.

et die Veneris . . . . IX et X.

H. Cock tradet Jus Publicum et Gentium, d. Lun., Mart. et Merc. IX.

Jus Criminale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . X.

et die Jovis . . . . XI.

Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . horâ XI.
Ordinem Judiciorum Criminalium, dieb. Lun., Mart. et Merc. XII.

J. R. THORBECKE explicabit Statisticam patriae, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . I.
Historiam Europae diplomaticam a regno LUDOVICI XIV usque ad Congressum Viennensem, iisdem diebus . . . . XII.
Oeconomiam politicam, iisdem diebus . . . . XI.
Jus Mercatorium, die Jovis . . . . XII.
et die Veneris . . . . XI et XII.

J. DE WAL explicabit Encyclopaediam et Methodologiam Juris, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Historiam Juris Romani enarrabit, iisdem diebus . . . . . I.
Origines ac Progressus Juris apud Gentes Germanicas, inprimis Juris Patrii Historiam illustrabit, iisdem diebus VIII.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL Euangeliorum capita, quae JESU CHRISTI *Passionem* ita dictam continent, interpretabitur, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . VIII.
Locos Classicos Veteris et Novi Testamenti explicabit, diebus Martis et Jovis . . . . VIII.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris V sqq.
Oratoriae Sacrae exercitationibus praeërit, die Jovis . . . . I.

N. C. KIST Historiam Ecclesiasticam docebit inprimis recentiorem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Christianae Morum Disciplinae partem exponet practicam et asceticam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . . . XI.
Doctrinae et Dogmatum Christianorum Historiam tradet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.
Historiae Ecclesiasticae Veteris monumenta exponet, die Martis XI.
Exercitia disputandi moderabitur, die Saturni . . . . II.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.

J. F. van Oordt, J. G. Fil., Theologiam Christianam theoreticam tractabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . . horâ IX.
Euangelium Johannis interpretabitur, dieb. Lunae et Mercurii X.
Historiam librorum N. F. exponet, duce E. Reuss, *die Geschichte der H. Schriften N. T.*, diebus Martis et Jovis X.
Theologiam Pastoralem tradet, die Mercurii . . . . I.
et Veneris . . . . X.

J. H. Scholten Disquisitionem de Euangelii quarti origine et pretio, respectu in primis critices Baurianae instituet die Lunae I.
et diebus Martis et Jovis . . . . XI.
Colloquiis vacabit de theologiâ naturali die Martis et Jovis, atque de Euangelio Johannis, die Veneris . . . . I.
Cum provectioribus leget loca selecta ex Actis Apostolorum, die Saturni, horis vespertinis . . . . VII—X.
Orationibus Sacris praeërit, die Mercurii . . . . II.
Publice disputandi exercitationibus praeërunt alternis hebdomadibus, die Saturni horâ I, alternatim J. F. van Oordt, J. G. Fil. et J. H. Scholten.

FACULTAS DISCIPLIN. MATHEM. ET PHYSIC.

C. G. C. Reinwardt Civium academicorum studia, quantum aetas et vires sinent, juvare paratus est.

J. van der Hoeven Zoologiam docebit, d. Lun., Mart. et Merc. XI.
Anatomen comparatam tradet, diebus Jovis et Veneris. . . XI.
Anthropologiam sive Historiam naturalem hominis et generis humani exponet, diebus Martis et Jovis . . . . I.
Mineralogiam docebit et elementa Geologiae, d. Lun. et Ven. II.
Vernaculo sermone et publice primas lineas Zoologiae generalis exponet, die Mercurii . . . . II.

A. H. van der Boon Mesch Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.
Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus XI.
Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.

Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . . horâ XII.
Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.
Cum studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris horâ vespertinâ . . . . V—VIII.

G. J. Verdam Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Jovis . . . . X.
et die Veneris . . . . IX et X.
Stereometriam et Trigonometriam sphaericam, hujusque usum, docebit, diebus Martis et Jovis . . . . VIII.
Arithmeticam universalem sive Algebram tractabit, die Jovis IX.
et die Mercurii et Veneris . . . . VIII.
Lectiones de *Calculo Integrali* continuare et *Mechanices analyticae* principia exponere velit; dies autem et horas postea indicabit.
Scholas paedagogicas explicabit, die Lunae . . . . XI.

F. Kaiser Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.
Astronomiam practicam, iisdem diebus . . . . X.
Astronomiam, quam popularem vocant, tradet diebus Lunae et Mercurii, horâ vespertinâ . . . . V.
Post ferias paschales autem hora quadam matutina, auditoribus commoda.
Theoriam motus corporum coelestium et disquisitiones selectas, de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis commentabitur.
Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.
Si qui sint, qui Chronographiae et Calendariographiae operam dare cupiant, in auditorum commodum horas constituet.

G. H. de Vriese Phytographiae fundamenta tradet autumnali tempore matutino, singulis diebus . . . . VII.
Plantarum indigenarum et medica virtute praeditarum historiam illustrabit verno et aestivo tempore, dieb. horisq. iisdem.

Physiologiam plantarum exponet, d. Lun., Mart., Merc. et Jov. horâ I.
Selectas demonstrabit familias naturales, iisdem diebus . . . II.
Excursionibus botanicis praeërit die Saturni, apta tempestate.

P. L. Rijke, Prof. Extr., Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . . XII.
Physicam Mathematicam tradet, diebus Lunae et Veneris . VIII.

FACULTAS PHIL. THEOR. ET LIT. HUMANIORUM.

M. Siegenbeek propter aetatem septuagenariam rude donatus, quantum per vires licebit, studiosae juventuti prodesse conabitur.

J. Bake explicabit Ciceronis Orationes *Verrinas* Act. II, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . IX.
Interpretabitur Sophoclis *Trachinias* et Platonis de Republ. Lib. I et II, iisdem diebus . . . . X.
In rerum Atticarum studio et cognitione exercebit Auditores, propositis Demosthenis orationibus Timocratea et Aristocratea, diebus Lunae et Mercurii . . . . I.
Scholas Paedagogicas moderabuntur J. Bake et C. G. Cobet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . II.

J. M. Schrant, Praecepta styli Neêrlandi seu Eloquentiae, nec non Oratoriae artis externae, tradet diebus Jovis, Veneris . . II.
et die Saturni . . . . X.
Historiam Patriae enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii II.
Vondelium interpretabitur, die Saturni . . . . XI—I.
Literarum Neerlandicarum historiam criticam enarrabit, diebus et horis auditoribus commodis.

A. Rutgers Jesajae Vaticinia inde a Cap. XL et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis . . . . IX.
et die Mercurii . . . . I.
Primum Samuelis Librum cursoria lectione tractare perget, die Martis . . . . I.
et die Jovis . . . . XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, d. Lun., Mart. et Merc. XII.

Grammaticam Sanskritam docebit et Anthologiam Sanskritam a Cl. LASSENO editam, explicabit, die Lunae . . . . . . horâ I—III.
Hitopadesam explicabit, die Veneris . . . . I—III.
Mahabharatam interpretabitur, die Jovis . . . . IX—XI.
T. G. J. JUYNBOLL Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis, Mercurii . . . . VIII.
et die Jovis . . . . I.
Literarum Arabicarum, Chaldaicarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), diebus Jovis, Veneris et Saturni . . . . VIII.
Cum provectioribus Librum legere perget Arabicum *de expugnatione Memphidis et Alexandriae*, ab HAMAKERO editum, die Martis . . . . II.
Et HAMĀSAE Carmina cum TIBRĪZĪI Commentario, die Veneris XI—I.
Coranum, additâ lectione Commentarii Baidhawiani, die Jovis V—VII.
Chrestomathiam Syriacam KIRSCHII a Cl. BERNSTEINIO iterum editam et Carmina EPHRAEMI selecta ex Chrest. A. HAHNII et F. L. SIEFFERTI, die Mercurii . . . . II.
Chrestomathiam Persicam SPIEGELII, die Veneris . . . . . II.
J. H. STUFFKEN *Logicam* tradet, diebus Jovis et Saturni . . . . IX.
et die Veneris . . . . XI.
Metaphysicam docebit, diebus Jovis et Veneris . . . . I.
Paedagogicam exponet diebus et horis auditoribus commodis.
C. G. COBET, Prof. Extraord., Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Elementa Artis Metricae docebit, diebus Jovis et Veneris . I.
Initia Palaeographiae Graecae provectioribus explicabit, diebus Lunae et Mercurii . . . . I—III.
Disputandi exercitia publica moderabitur, die Jovis . . . . XI.
Scholae *de Historia Universali* post ferias indicabuntur.

P. O. van der Chijs, titulo Prof. extr. ornatus, Numismaticam generalem tradet, diebus Lunae et Jovis . . . . horâ I.

C. A. X. G. F. Sicherer, Litt. Germ. Lector, Klopstockii Odas interpretabitur, diebus et horis, auditoribus commodis.

Si qui sint, qui linguae Germanicae minus periti, Grammaticam doceri cupiant, iis quoque lubentissime vacabit.

C. G. Lokkers, Academicus Artis gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DIE 31 DECEMRIS 1849.

E FACULTATE MEDICA.	E FACULTATE JURIDICA.	E FACULTATE THEOLOGICA.	E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	CUNCTUS NUMERUS.
60	168	67	10	27	332

Praeterea in album academicum nomina studiosorum in diversis Athenaeis studiis operam navantium relata sunt, eo tantum consilio, ut hic examinentur et Doctores creari possint, quorum

in Facultata Medica . . . . 32.
〃 〃 Juridica . . . . 48.
〃 〃 Theologica . . . . 28.
〃 〃 Disc. Math. et Phys. . . . . 1.
〃 〃 Phil. Theor. et Litt. Hum. . . . . 13.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

A DIE 9 M. FEBRUARII 1849 AD DIEM 8 M. FEBRUARII 1850.

IN FACULTATE MEDICA.

d. 12 Mart. Josephus Carolus Bernardus Maury, Roterodamensis, def. Diss. *de lichene islandico*, M. D. *cum laude.*

d. 28 Mart. Janus Jacobus Fredericus Henricus Theodorus Merkus Doornik, Indo-Batavus, M. D., def. Thes. A. O. D.

Janus Paulus Gildemeester, Amstelodamensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 30 Mart. Carolus Antonius Adrianus Kieckens, Bredanus, def. Diss. *de meningitide*, M. D. *cum laude.*

d. 20 April. Ludovicus Johannes Del Baere, Gandavensis, M. et A. O. D., def. Thes. Ch. D.

d. 1 Maji. Isidorus Leonides van Praag, Leidensis, M. et A. O. D., def. Thes. Ch. D.

d. 14 Maji. Balduinus Versélewel de Witt Hamer, Goesa-Zeelandus, def. Diss. *de haemorrhagiis post partum*, M. D. *cum laude.*

d. 15 Maji. Gomarus Franciscus van Dommelen, Ultrajectinus, publice def. Diss. *de structura urethrae*, M. D. *cum laude.*

d. 18 Maji. Arnoldus de Jong, Campensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 25 Maji. Josephus Reicher, Leerensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 26 Maji. Arnoldus de Jong, Campensis, M. et A. O. D. def. Thes. Ch. D.

Henricus Petrus van Praag, Oudewaterensis, def. Diss. *continente duas observationes caet.*, M. D. *magna cum laude.*

d. 1 Junii. Guilielmus Joannes Knockers van Oosterzee, Roterodamensis, def. Diss. *de ratione quae est inter catumenia et morbos mulierum caet.*, M. D. *cum laude.*

d. 2 Junii. Antonius Franciscus van Wieringen, Bodegrava-Hollandus, def. Diss. *de pelvi oblique ovata*, M. D. *magna cum laude.*

d. 4 Junii. HERMANUS TOMAS, Roterodamensis, def. Diss. *de asa foetida*, M. D.

d. 9 Junii. PETRUS SMITS, Delphensis, M. D., def. Thes. A. O. D.
PETRUS SMITS, Delphensis, M. et A. O. D. def. Thes. Ch. D.
DIDERICUS VEEGENS, Harlemensis, M. D., def. Thes. Ch. D.

d. 13 Junii. HENRICUS JOANNES VAN HENGEL, Amstelodamensis, M. et A. O. D., def. Thes. Ch. D.
JANUS JACOBUS FREDERICUS HENRICUS THEODORUS MERKUS DOORNIK, Indo-Batavus, M. et A. O. D., def. Thes. Ch. D.
JANUS PAULUS GILDEMEESTER, Amstelodamensis, M. et A. O. D., def. Thes. Ch. D.

d. 20 Junii. DIDERICUS HENRICUS WILDSCHUT RYNDERS, Hornanus, publice def. Diss. *de acido urido caet.*, M. D. *cum laude.*

d. 21 Junii. PETRUS ADRIANUS RICHARD, Amstelodamensis, publice def. Diss. *de antiphlogistica medendi methodo*, M. D. *cum laude.*
ISAÄCUS ELISA LUBER, Amstelodamensis, publice def. Diss. *continente quaedam radicis valerianae analysin spectantia*, M. D. *magna cum laude.*

d. 22 Junii. JOHANNES VAN LEEUWEN, Alcmariensis, def. Diss. *de Scirrho Cardiae ventriculi*, M. D. *cum laude.*

d. 25 Junii. ADRIANUS BROERS, ex pago Zeyst, def. Diss. *exhibente casum rupturae aortae adscendentis caet.*, M. D. *cum laude.*
JOHANNES FREDERICUS GUILIELMUS NEEB, Leidensis, def. Diss. *de carcinomate epitheliali*, M. D. *cum laude.*

d. 26 Junii. THEODORUS DE VEER, ex insula Curaçao, def. Diss. *continente nonnullos morborum casus*, M. D. *cum laude.*
GUILIELMUS JOANNES PETRUS TIMMERMANS, Leidensis, def. Diss. *de cystide ovarii*, M. D. *cum laude.*

d. 27 Junii. JOANNES NICOLAUS LUDOVICUS BAX, Roterodamensis, publice def. Diss. *de studio veterum ac majorum minime negligendo*, M. D. *cum laude.*

d. 29 Junii. LUCAS JACOB EGELING, Harlemensis, def. Diss. *de pubertate*, M. D. *cum laude.*

d. 2 Julii. JOHANNES VERBOOM SOUMAIN, ex pago Zegwaart, def. Diss. *de cholera asiatica*, M. D.

d. 2 Julii. JUSTUS LUDOVICUS DUSSEAU, e pago 's Gravenland, def. Diss. *de tela ossea*, M. D. *cum laude*.
JOANNES BAPTISTA ANTONIUS GOYARTS, Sylva-Ducensis, def. Diss. *continente tres observationes clinicas*, M. D. *cum laude*.

d. 17 Sept. JOHANNES CAROLUS HUMMEL, ex Cattovico ad Rhenum, def. Spec. *de monstro caet.* M. D. *cum laude*.

d. 25 Oct. ANTONIUS FRANCISCUS VAN WIERINGEN, Bodegrava-Hollandus, M. D. def. Thes. A. O. D.

d. 5 Dec. HENRICUS PETRUS VAN PRAAG, Oudewaterensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 20 Dec. JOHANNES FREDERICUS GUILIELMUS NEEB, Leidensis, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 21 Dec. GUILIELMUS MARINUS PERK, Delphensis, def. Diss. *continente calculi urinarii cujusdam historiam et analysin chemicam*, M. D. *magna cum laude*.

d. 8 Jan. JOHANNES CAROLUS HUMMEL, ex Cattovico ad Rhenum, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 18 Jan. ADRIANUS BROERS, ex pago Zeyst, M. D., def. Thes. A. O. D.

d. 21 Jan. FREDERICUS JANUS ISAÄCUS SCHMIDT, Delphensis, M. et A. O. D., def. Thes. Ch. D.

d. 29 Jan. DIDERICUS HENRICUS WILDSCHUT RYNDERS, Hornanus, M. D., def. Thes. A. O. D.

IN FACULTATE JURIDICA.

d. 3 Mart. HERMANNUS MARIUS VAN DER SANDE, Dordraco-Batavus, def. Diss. *de jure cambiali Borussico et nostro*, J. U. D. *cum laude*.

d. 26 Mart. EPKE VAN HELOMA, Wolvega-Frisius, def. Thes. J. U. D.

d. 30 Mart. JOANNES POLS, Haganus, def. Diss. *de corporibus moralibus*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 31 Mart. EDUARDUS CAROLUS MANUEL, Samarangensis, def. Thes. J. U. D.

d. 25 April. ALEXANDER GUILIELMUS MAURITIUS CAROLUS VER HUELL, Doesburgensis, def. Thes. J. U. D.

d. 24 Maji. EMANUEL LEVIUS VAN EMDEN, Lugduno-Batavus, def. Diss. *continente quaestiones juridicas*, J. U. D. *cum laude*.

d. 20 Junii. Fredericus Jacobus Alexander Fles, Bredanus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 22 Junii. Guilielmus Fredericus Jacobus van Pallandt, ex Rozendaal Gelrus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

Abrahamus Nederburgh, ex pago 's Gravesande, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

Sebastianus Cornelius Hermanus Nederburgh, ex pago 's Gravesande, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 23 Junii. Thomas Adrianus Lambrechtsen, Medioburgensis, def. Diss. *de societate mutua*, J. U. D. *cum laude.*

Fredericus Bernardus van Leeuwen, Soerabaya-Indus, def. Thes. J. U. D.

d. 25 Junii. Augustus Theodorus Ver Huell, Haganus, def. Thes. J. U. D.

d. 26 Junii. Guilielmus Petrus Cornelius Knuyse de Mey, ex pago Ossendrecht Brabantus Sept., def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 28 Junii. Janus Hendricus Waller Diemont, ex pago Haastrecht, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

Johannes Fredericus van Lennep, e pago Bloemendaal, publice def. Diss. *de partibus quas reges habuerint in administranda justitia*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 29 Junii. Gerardus Joannes Vriese, Indo-Batavus, publice def. Diss. *de poena exsilii*, J. U. D. *cum laude.*

d. 30 Junii. Abrahamus Guilielmus Theodorus de Jongh, ex insula Java, def. Thes. J. U. D.

Henricus Carolus Franciscus Aemilius Seydlitz, Venloënsis, def. Diss. *de flagranti delicto*, J. U. D. *magna cum laude.*

Paulus Guilielmus Eugenius Henricus de Bieberstein, Ultrajectinus, def. Thes. J. U. D. *magna cum laude.*

d. 5 Sept. Petrus Jacobus Henricus van Weel, Oosterhoutanus, publice def. Diss. *de emancipatione pleniore*, J. U. D. *cum laude.*

d. 22 Sept. Thomas Joannes van Outeren, Leidensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

Bartholomaeus Marinus Verbrugge, Roterodamensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 5 Oct. Clemens Sandenbergh Matthiessen, Amstelodamensis, publice def. Diss. *de liberis expositis*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 29 Oct. Jacobus Gerardus de Bruyn, Roterodamensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 1 Nov. Carolus Henricus Josephus van Brienen, Amstelodamensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 9 Nov. Franciscus Joannes Antonius Hubertus Vermeulen, Sylva-Ducensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

Christianus Mirandolle, Haganus, def. Diss. *continente quaestiones duas e jure Neerlando*, J. U. D. *cum laude.*

d. 13 Dec. Paulus Guilielmus Henricus van Sonsbeeck, Zwollanus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 19 Dec. Joachimus Jochems, Haganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

Antonius Jacobus Clant, Haganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 21 Dec. Johannes van Andel, ex pago Klaaswaal, def. Diss. *continente quaestiones quasdam*, J. U. D. *cum laude.*

d. 16 Jan. Eduardus Hermannus 's Jacob, Haganus, publice def. Diss. *de art. IX legis quae generaliora exhibet praecepta*, J. U. D. *cum laude.*

d. 25 Jan. Petrus Paulus Philippus Kist, Haganus, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

d. 6 Febr. Franciscus Johannes Laurentius Moleschott, Sylva-Ducensis, def. Thes. J. U. D. *cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

d. 1 Mart. Zeno Bachiene Muntendam, Noordyk-Groninganus, publice def. Diss. *de hymno angelico*, Theol. D. *cum laude.*

d. 1 Junii. Fredericus Guilielmus Bernardus van Bell, Roterodamensis, publice def. Diss. *de patefactionis Christianae indole e vocabulis φανεροῦν et ἀποκαλύπτειν in libris N. F. efficienda*, Theol. D. *magna cum laude.*

d. 27 Sept. Abrahamus Guilielmus van Campen, Leidensis, V. D. M. in pago Opperdoes, publice def. Diss. *de jure quo nonnulli consilium apologetico-irenicum auctori act. apost. tribuant*, Theol. Doct. *magna cum laude.*

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

d. 2 Nov. ANTONIUS JACOBUS VAN DEINSE, def. Diss. *exhibente determinationem orbitae cometae detecti a Cl. de Vico die* 20 *Febr.* 1846; M. M. Ph. N. D. *magna cum laude.*

d. 21 Dec. GUILIELMUS MARINUS PERK, Delphensis, def. Diss. *de aquis Leidensibus*, M. M. Ph. N. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

d. 9 Febr. LEONARDUS PETRUS OUWERSLOOT, Amstelodamensis, def. Diss. *continente observationes quasdam de vita Cimonis Miltiadis filii*, Ph. Th. M. L. H. D.

d. 28 Sept. JOHANNES CAROLUS VAN DER WULP, Haganus. def. Spec. *continente observationes criticas in locos nonnullos scriptorum utriusque linguae*, Ph. Th. M. L. H. D. *magna cum laude.*

ACADEMIA

RHENO-TRAJECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI,

INDE A DIE XXVI MARTII A. MDCCCIL

USQUE AD DIEM XXV MARTII A. MDCCCL,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

HERM. JOH. ROYAARDS.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

FRANCISCUS CORNELIUS DONDERS.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN.
H. J. ROYAARDS.
H. E. VINKE.

IN FACULTATE JURIDICA.

A. C. HOLTIUS.
J. ACKERSDYCK.
G. W. VREEDE.
B. J. LINTELO DE GEER (Extraordin.).
J. VAN HALL.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. VAN GOUDOEVER.
J. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.
L. G. VISSCHER.
S. KARSTEN.
C. W. OPZOOMER (Extraordin.).

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN.
J. J. WOLTERBEEK (Emeritus).
J. L. C. SCHRÖDER VAN DER KOLK.
G. J. LONCQ, CORN. JAN. FIL.
F. C. DONDERS (Extraordin.).
L. C. VAN GOUDOEVER (Extraordin.).

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE.
R. VAN REES.
C. A. BERGSMA.
P. J. I. DE FREMERY (Extraordin.).
G. J. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT (Extraordin.).

LECTORES.

Antiquarum Litt. G. DORN SEIFFEN.
Linguae Germanicae J. H. HISGEN.
Linguae Anglicae J. VENNING.
Astronomiae A. S. RUEB.

HERM. JOH. ROYAARDS

ORATIO

DE

COMMUTATIONIS,
QUAM SUBIIT THEOLOGIA IN NEDERLANDIA,
SAECULO HOC UNDEVICESIMO,
VIA AC RATIONE.

PUBLICE HABITA, DIE XXI M. MARTII A. MDCCCL, CUM ACADEMIAE
RHENO-TRAJECTINAE REGUNDAE MUNUS ITERUM DEPONERET.

8

Festina lente.

Effatum Theologiae Nederlandicae,
saec. 19.

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI, QUIQUE HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME.

DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI, LECTORES DOCTISSIMI.

QUI IN REGNO NEDERLANDICO, IN PROVINCIA ET URBE RHENO-TRAJECTINA, AUCTORITATE ESTIS CONSPICUI, VIRI SPECTATISSIMI.

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES; DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI VENERABILES, ERUDITISSIMI.

STUDIOSAE JUVENTUTIS LECTISSIMA CORONA, PATRIAE SPES, NOSTRA CURA.

CIVES DENIQUE ET HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO HONORANDI, AUDITORES OPTATISSIMI.

Annum agimus quinquagesimum saeculi undevicesimi. Prolabente jamjam dimidiata saeculi parte, — nisi nos fallit arithmetica, — oculos convertamus par est in praeterita illa, quae ipsi viximus, tempora, ut vitae anteactae rationem habeamus, utque praeterita nos doceant, vitam instituere et regere futuram.

Quodsi Europae et Patriae nostrae adeo historiam per dimidiatum fere saeculum hocce attendimus, quot quaeso, Aud.! rerum conversiones agitarunt gentes! — Ineunte saeculo, anarchia, quae thronos et altaria subvertebat, quae Deum curabat neque homines, ut sibi ipsi altaria strueret homo, vexavit Galliam, atque ex illo receptaculo studiorum Europaeorum ceteras suâ peste infecit regiones. Mox anarchiam excepit despotismus dirissimus; despotismum frangere studuit studium libertatis acerrimum; alia vero post aliam rerum conversio, semper fere e Galliâ procedens, plures peragravit regiones, turbavitque pacis et tranquillitatis, quae successerat,

aetatem. Neque tamen recentiorum gentium historia phaenomenon nobis spectandum praebuit, quod paucorum intra mensium dierumve spatium talem tantamque peperit rerum conturbationem, quantam annus hujus saeculi quadragesimus octavus.

Movebatur *Gallia*, ubi velut fulminis ictu turbata rerum politicarum conditio regnumque eversum, quod splendore Galliam ornaverat, inque mediis procellis agitatisque hominum mentibus, uno temporis articulo, Respublica condita, colluctans ab incunabulis inde cum Socialismi et Communismi insanis simul et horrendis conatibus. Motâ vero Galliâ omnis fremere Europa. Caput iterum extulit in *Teutoniâ* anarchia, ut quorsum se verterent homines, securitatis politicae et tranquillitatis studiosi, nescirent plane. Surrexit *Italia* et, democraticis aevi studiis Hierarchiae minitans, Papam fugavit ipsaque Respublicas condidit, quarum praecipuam ipsi Rerumpublicarum in Europa auctores, Franco-Galli, evertere haud erubuerunt. Surrexerunt *Teutones*, tremendâ anarchiâ Imperatori, Regibus, Principibusque pavorem et metum incutientes, quaeque postulabant exasperatae gentes, mox, veluti vi coacti, iis concesserunt Principes; vel adeo regnum, quod occupabant, quam citissime possent, abdicarunt. Omnis ferme agitabatur Europa, et, penitus quassata, fundamentis suis vacillare videbatur, adeo ut intra paucorum mensium dierumve spatium novam periodum ingressa videretur recentiorum gentium historia.

Quorsum haec ducant, quidve futurum sit hoc nostro tempore, augurari nondum licet. Illud tamen constat, principia quaedam extrinsecus prodiisse, quae haud adeo facile gentes sibi ereptum iri sinent. Hactenus sane in multis pari rerum conditione versamur hodie, qua versabamur hoc saeculo ineunte.

Verum non civitatum tantum, ipsa item Religionis et Ecclesiae conditio vehementer fuit turbata, quassata adeo. Quae enim fuit, ineunte hoc saeculo, rerum conditio, hanc majori vi hoc nostro animadvertimus tempore. — Religionem Christianam vim fere vitalem novimus Europae recentioris, quae tam altas egit in gentibus Neo-Europaeis radices, ut sane nulla hominum vi neque ingenio evelli queat. Mater illa exstitit cultûs Europaei, ipsiusque elementa arctissime hodieque cohaerent cum gentium Europaearum institutis, moribus, legibus; adeo quidem, ut oppugnatâ illâ,

iudicia, cum docenti fere imputaretur, quod pro magna parte discipulorum erat meritum. Itaque post restitutam nobis patriam lectus sum inter Quinqueviros legi super altioris ordinis institutione condendae, sumque mortuo WYTTENBACHIO ad succedendum ei Regio decreto in Leidensem cathedram vocatus, qua conditione cum mihi non utendum censuissem, gratum id sibi fuisse huius urbis, qui tum erant Coss. quadam etiam in me honorifica munificentia declaratum voluerunt, tametsi nullum fuerat in hac re meritum meum, qui stationem in urbe patria, ubi omnia mihi nota et amica erant, praetulissem exterae et ignotae. Postea eodem illo in me Magistratuum Curatorumque Athenaei favore mihi rarum illud contigit, ut altera Illustris Athenaei saecularia festa oratione celebrarem, cui tum actui cum praesentes adfuissent praeter alios dignitate ac meritis excellentes viros, etiam Professores magno numero, inque his non pauci quondam discipuli mei, partim iam collegae mihi facti, partim in aliis Academiis suam quisque pari honore cathedram obtinentes, hi aliquid eo nomine mihi debere se putantes, insignius voluntatis suae monumentum domi meae exstare voluerunt, sicut antea exacto quinto gesti a me muneris lustro, qui tum erant discipuli mei, pariter sui in me animi ac favoris tale obtulerant indicium, quod item esset egregio aedibus meis ornamento. Cur dissimulem gratissima mihi fuisse haec discipulorum in me benevolentiae testimonia, qui unum hoc doleam quod eorum tot iam vita functis non possum aeque omnibus gratum meum animum ostendere, maxime illis qui postquam erant e discipulis collegae mei facti, iam item unus et alter praematuro obitu, me superstite adhuc, mutato quasi fatorum ordine, diem suum obierant? Sed bene habet quod in demortuorum locum successerunt alii, mecum iam ut prisca illa, sic recenti hac necessitudine coniuncti, quorum ex iunioribus unus his ipsis diebus, quantum ipse quoque mihi tribueret, dedicata mihi literaria scriptione sua [1]) amantissime

---

[1]) Libelli titulus est: *Viro celeberrimo* DAVIDI IACOBO VAN LENNEP *I. V. D. Litt. Humaniorum et Philos. Theor. Professori exactum decimum stationis in Illustri Amstelodamensi Athenaeo lustrum pie atque ex animo gratulatur ipsius olim discipulus* M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et I. V. D. Iuris Civilis cum Romani tum hodierni in eodem Athenaeo Professor* d. XI Novembris anni MDCCCXLIX. — *Inest specimen emendationum in Auctores veteres.*

declaravit. Neque hoc solum voluptatem mihi adfert, quod ab amantibus me ex veteri illa necessitudine viris tot Athenaei nostri cathedras obtineri video; laetus etiam hîc adspicio complures, item olim discipulos meos, alias in hac urbe iam ipsos quoque obtinentes cathedras, quorum cum prolata inde verba ad me veniunt melioris admonentia me vitae, id propterea mihi est acceptius, quod ab longo inde tempore ipsi cogniti probatique mihi sunt et eorum nunc quoque minime dubia erga me benevolentia illos invicem ut magis diligam efficit. Sed infinitum sit, si recensere velim omnia, quae ab omnium ordinum viris tum olim tum recentius atque adeo recentissime exhibita mihi sunt officia, gratique ipsorum in me animi indicia, in cuius rei causam cum inquiro, probe mihi ipse conscius, me doctrina longe inferiorem esse Wyttenbachio, longe Rvhnkenio, unam hanc invenire possum, quod cum magno meo in literas, quas docebam, studio atque amore coniunctum semper fuit in ipsos, quos instituebam, iuvenes propensi atque amantis animi studium. Ceterum, ut mea illa literas colentis et docentis conditio multorum mihi conciliavit amicitiam et favorem, ita felix quoque in hoc fui, quod nunquam me exercuerunt ob eas susceptae contentiones atque inimicitiae, quales saepe aliis viris doctis inquietam miseramque vitam reddiderunt.

Sed haec satis multa ac nimis fortasse multa de mea docentis persona fortunaque. Sequitur iam, ut dicam de ipsarum, quas quinquaginta annos tradidi, literarum varia tum hîc tum alibi per illud tempus fortuna, in qua parte orationis tamen etiam aliquando mei mihi facienda erit mentio, quod pro vestra indulgentia, AA., aequi velim bonique consulatis.

Variam illam dixi fortunam: ac facile quidem intelligitur, fieri non potuisse, ut longiore illo temporis spatio, semper eadem esse illa persstiterit; idem semper iis literis sit honos habitus, nullam ipsae, praesertim, quod ad earum disciplinam attinet, varietatem subierint. His de rebus iam dicendum mihi erit, censuique operae pretium me facturum, si, quasi aditum ad ea mihi parans, initium facerem ab repetenda memoria temporis, quo iuvenis ego primum in hoc Athenaeo, postea in Leidensi Academia, bonarum artium exercitia aemulabar.

Sunt aliquando, AA. tempora, quae suopte ingenio promptos ad literarum studia iuvenes magis etiam ad illa amplectendum singulari quadam sua

opportunitate alliciant et invitent. Faventia sic iis studiis tempora me iuvene fuerunt in hac urbe vel hinc maxime, quod eius tum Gymnasio praeerat RICHEVS VAN OMMEREN, vir natura factus ad illarum amorem literarum in iuvenum animis excitandum alendumque. Ex eius disciplina profectos schola excipiebat WYTTENBACHII, quem audientes statim capiebantur eximia, qua valebat ille, ubertim atque eleganter Latine loquendi facultate, insignique in eius orationibus et lectionibus sermonis, velut Attico sale conditi, lepore, urbanitate, suavitate. Nec latebat eos flumen id, quod mirabantur, eloquentiae non nisi unum fontem habuisse adsiduam ac diligentem veterum auctorum Graecorum Latinorumque lectionem, sibique, si ad tale quid etiam ipsi adspirare vellent, eosdem auctores item diurna nocturnaque manu versandos esse. Id agentes lubentissime in familiaritatem suam recipiebat HIERONYMVS BOSCHIVS, vir tum optimus ipse et optimo cuique favens, tum incredibili quodam in veteres literas amore ardens. Erat huic in ore semper HOMERVS. Vt HOMERVM inprimis legerent, adsiduus suis illis familiaribus auctor erat. Sed, qui esset ipse ad Latina carmina condenda uberis ac felicis venae poëta, libenter etiam cum iuvenum iis, quos aliquid in hoc genere tentantes animadverterat (erant autem ex OMMERENI discipulis complures) ita de ea re disserebat, ut optimis eos monitis et consiliis instrueret; quos Augusti seculi poëtas praecipue ad imitationem sibi proponere deberent; qui recentiorum hac imitatione maximam essent laudem adepti, indicans. Tum introductis in bibliothecam suam, quam veteris literaturae libris in omni genere instructissimam habebat, saepe editionem laudati ab ipso poëtae vel optimam vel rariorem monstrabat, qua occasione cupide illi oculos circumferentes et in tantis eius bibliothecae opibus modo hunc modo illum librum eximie notantes, deque eo BOSCHIVM compellantes, ab humanissimo viro tale semper responsum accipiebant, ut ad pleniorem libri notitiam nihil porro desiderantes, de hoc solum essent solliciti, quomodo simile exemplum eius sibi aliquando compararent. Itaque, quoties publica talium librorum auctio fieret, eo semper magnus erat studiosorum iuvenum concursus, magnum ibi licitantium certamen, maximum eius, qui optatum librum sibi comparasset, gaudium, eiusdem postea quoque in eo quasi triumphantis, fortunamque suam iactantis in conventu sodalium privato, quales certis diebus frequentes

nobis habebantur, oratoriis et poëticis exercitiis dicati. Dulces has inprimis meae iuventutis horas nunc quoque non sine voluptate maxima recordor, quique testes earum mecum fuerunt, quamvis admodum pauci restent, horum tamen nonnullos hîc praesentes me videre maximopere laetor.

Erant, qui promovendis literarum humaniorum studiis in hac regione principes haberentur, ut Amstelodami WYTTENBACHIVS et BOSCHIVS, ita Leidae RVHNKENIVS et LAVR. SANTENIVS, quorum tamen RVHNKENIVS magis ea scriptis promovebat, quam institutione, quippe quae tota fere dictatis contineretur, praestantissimis quidem illis, sed certe in scholis excipientes illa fere frigidos relinquentibus, ut non prodessent iis nisi lecta et meditata domi, correptis iam ipsis antea bonarum amore literarum. Quod si quis ad familiaria cum viro colloquia admitteretur, ut feliciter mihi contigit, alia res erat. Meum tamen ad versandos veteres auctores (inque his poëtas maxime) ardorem plus, fateor, aluit SANTENIVS, vir in multis BOSCHIO similis, poëta ipse quoque minime contemnendus et rei metricae veterum exactissime peritus. Nec defuerunt mihi Leidae literarum exercitia cum earum studiosis adolescentibus, tum iis, qui mei fuerant Amstelodami quoque commilitones, tum aliis.

Turbatus interim fuerat, ut universae Europae, ita nostrae rei publicae status. Sed nihilominus Amstelodamum redux florentia tum quoque ibi literarum studia inveni, tuentibus illa, ut antea, WYTTENBACHIO et BOSCHIO, quique in hac re socius iis recensendus mihi fuerat, CRASSO. Iuris hîc in Athenaeo nostro antecessor, ut erat ipse eleganter Latine loquendi scribendique facultatem, ab assidua lectione CICERONIS, qui ipsi in deliciis erat, consecutus, ita, tum exemplo hoc suo, tum monitis, auditores suos quotidie ad diligenter versanda CICERONIS scripta impellebat, in quo cum prae ceteris me sibi obsequentem habuisset, idque adeo palam facientem, auctore eo ac praeside scripta defensaque hîc Dissertatione super loco CICERONIS, qui est de Finibus Bonorum et Malorum, mihi multum hinc favere coepit, eiusque inprimis et BOSCHII commendatione Professor ego, viginti quinque tum annorum iuvenis, factus sum in locum digressi Leidam WYTTENBACHII.

Quarum rerum scientiam profiterer, demandatae mihi tum, non modo Graecae Latinaeque literae et cum Historia Antiquitates, sed etiam Eloquentia et poësis. Tot rerum tradendarum onus ut minus gravarer susci-

pere, fecerunt tum monita et consilia, quibus me instruere et volebant et poterant optimi illi fautores mei, tum, quod nihil magis ipse vellem, quam in amatis illis mihi literis porro aetatem degere, docendoque illas ipsum discere et proficere in iis quotidie, deque instituenda mihi iuventute, quantum possem, bene mereri, duntaxat communicando cum ea meum, quo ferebar in eas literas, amorem. Neque in hoc quidem me spes fefellit, et erant, ut supra indicavi, iam quodammodo praeparati ad id iuvenum animi, quod mihi statim apparuit, cum primum habenti mihi scholas et magna satis auditorum frequentia et aequa adesset in Graecis atque in Latinis scholis. Secus olim fuerat ante WYTTENBACHIVM. Namque huius decessor BVRMANNVS SECVNDVS auditores in Graecis scholis solos fere habuerat Theologiae studiosos, neque eos multos, et quamquam ipse probabiliter erat Graece doctus, at lubentius tamen in Latinis auctoribus, praesertim poëtis, quam in Graecis versabatur, ut dubium sit, an discipulus eius BOSCHIVS illum, quo flagrabat, HOMERI amorem magis disciplinae magistri quam suo ipsius ad poësin facto ingenio debuerit. Sed BVRMANNI tempore etiam in patriae nostrae Academiis similis ferme rerum erat conditio, Leidae quidem post VALCKENARIVM, insignem illum dote, quae ob causam supra mihi indicatam minor in RVHNKENIO fuit, literarum, in quibus ipse excellebat, etiam alios amore imbuendi. Neque extra patriam nostram tantum studii tum impendebatur Graecis literis, quantum tribui coeptum est postea, maxime in Germania. Sed Amstelodami quidem WYTTENBACHIVS, adiuvante BOSCHIO, studium id primum ab se ortum magis magisque in dies auxit firmavitque, ut idem postea illud excitavit aluitque Leidae, propagavitque hinc per discipulos suos, clarissimos doctrina viros, BAKIVM in Leidensi, HEVSDIVM in Traiectina Academia. Mihi, quamvis, praesertim primo illo tempore, longe infra WYTTENBACHIVM censendo, tamen contigit excitata ab illo in hac urbe Graecarum literarum studia alere porro ac tueri, neque mihi, vel ante latam super Academica institutione legem, qua facta est studiosae iuventuti lectiones de iis frequentandi necessitas, unquam est in dicatis huic rei scholis desiderata auditorum frequentia.

Poëseos quoque Latinae studia promovenda Curatores mihi demandaverant, ea paulatim elanguisse dolentes, recordatique personuisse quondam

hoc Auditorium Bvrmanni Secvndi carminibus, sperantesque illi, fore, ut per me, qui iam semel iterumque iuvenis aliquid huius generis edidissem, studia illa denuo hïc excitarentur. Nec voluntas in eam rem mihi defuit. Sed iam minus ei favebant tempora. Scilicet, non item ut Boschivs, iis se exercitiis fautorem praebuerat Wyttenbachivs, neque, ut Ommerenvs, huic in Gymnasii regimine succedens, ceterum doctus vir, Hana. Ita parum ad ea praeparati erant iuvenes. Tum is erat rei publicae status, qui magis hominum animos ad gravioris et seriae doctrinae praesidia ac solatia, quam ad poëtici cuiuscunque lusus oblectamenta converteret. Fuit igitur mihi quoque ratio temporum habenda, et, quo illa duceret, eo maxime dirigendus institutionis meae cursus. Attamen et pangendo ipse carmina subinde exemplo praeivi et poëtas Latinos veteres cum discipulis tractando non destiti hos ad amandum admirandumque illos instituere, qui forte sic etiam ad imitandum eos impellerentur. Sed hoc quidem raro factum est. Accessit, quod, quae diu in hac urbe Latinis versibus favorem conciliaverat mitis et officiosa Musa Boschii, morte huius conticuerat, quodque Leida pariter strenuum Latinae poëseos cultorem ac patronum amiserat obitu Santenii, mutatusque etiam ibi fuerat studiorum et institutionis cursus moderante eum Wyttenbachio. Neque postea ad instauranda illa poëtica exercitia monitis et exemplo Peerlkampivs Vir Cl. plus Leidae valuit, quam ego Amstelodami, frustraque eleganti scriptione *de male neglecto Latinae poëseos studio* questus est vir egregius, qui diu collega mihi fuit coniunctissimus, Hermannvs Bosscha; estque etiam aliis in terris studii genus hoc res pene intermortua, quam neque refocillare adhuc potuit, quod Io. Henr. Hoevfftivs, ipse, dum in vivis erat, vir in eo genere primarius, Regio Instituto nostro pecuniam legavit, unde praemio proposito quotannis ad certandum carmine Latino invitarentur tam exteri quam cives.

Sed fortasse quaeret ex me aliquis: cur tamdiu huic rei immoraris? Cui poëticum ingenium est, is in sua se potius vigente adhuc lingua exerceat, quam in extera et antiquata. Putasne istud exercitium si negligatur, aliquid detrimenti capere humaniores, quas tueris, literas? Puto equidem omnino. Quid enim? Vt in arte Musica qui aliquatenus se exercuit, quamvis non in tantum profecerit, ut ipse auditu dignum aliquid proferre

possit, fere tamen id consequitur, ut ad excellentium in eo genere artificum cantus et opera aures adferat eruditas plenamque ex iis voluptatem capiat: ut item, qui in pingendi arte data ei opera non quidem eos fecit progressus, ut probabilis ipse pictor evadat, attamen hunc laboris et exercitii sui fructum percipit, ut non solum, ubi tabulae pictae exponuntur, ad singulas elegans et peritus arbiter accedat, quidque in iis eximie pulcrum et venustum sit, citius ac melius, quam spectatorum vulgus, notet, sed etiam, quae in rerum natura, nubibus, agris, montibus, silvis variisque ibi solis et umbrae effectibus admiranda sese oculis obiiciunt, ea statim cum delectatione sua animadvertat, quae plerosque alios vel plane fugiunt, vel certe non nisi leviter afficiunt; ita quoque Latinae poëseos exercitium quamvis non eo nos perducat, ut carmine certare cum veteribus possimus, attamen eo valet, ut illa Veterum carmina, ad quorum exemplum nostra informare studemus, et crebrius et diligentius legamus, atque, ea dum legimus, magis magisque cum cuiusque poëtae ingenio familiares reddamur, et, si criticam exercere in eo volumus, ad eam exercendam aptiores. Notum est HEINSIOS BVRMANNOSQVE, in Latinis poëtis recentioribus haud sane infimo loco censendos, eosdem OVIDII aliorumque veterum poëtarum sospitatores extitisse. HEYNII, cui viro optimas TIBVLLI VIRGILIIque editiones debemus, ipsius non mala exstant Carmina Latina. IOANNES autem FRIDERICVS GRONOVIVS, qui poëticen eius generis, quantum equidem sciam, non attigerat, egregrie ille vir de LIVIO emendando meritus, idem ad poëtas accedens infelicissimus erat coniector. Itaque mihi videntur in Gymnasiis duntaxat retinenda esse huiusmodi exercitia, non, ut inutilia prorsus, ommittenda.

Ceterum si quid detrimenti passae sunt bonae literae, quod poëtarum Latinorum Veterum per recentiorum carmina aemultatio in honore esse desiit, contra ad plus voluptatis ex poëtarum tam Graecorum, quam Latinorum lectione capiendum eximie contulit maior hac aetate rei Veterum metricae tributus honos, diligentiorque illi impensa cura, in quo genere praeclara inprimis sunt merita viri in omni veteris literaturae genere primarii, GODOFREDI HERMANNI. Dici non potest, quantum huic debeant illi, qui in Veterum Lyricis, Tragicorumque et Comicorum choris atque canticis operam legendis ponunt. Non perinde est ad voluptatem, utrum

ea legens satis habeas poëtarum verba intelligère sententiarumque vim percipere, an etiam ad numeros attendas, eosque vel tacite tecum inter legendum, vel incalescens clara voce efferas. Memini virum cetera doctissimum carmen Horatii lyricum sic legentem, ut meram prosam audire mihi viderer. Profecto ille, quamvis intelligens Horativm, non nisi dimidium voluptatis ex eo capiebat. Ad numeros cum attendimus, vis musica paulatim intimos animi nostri sensus penetrat, iucundeque afficit. Sanguis celerius per venas currit. Cum poëta exhilaramur, tripudiamus, inflammamur, insurgimus. Itaque in mea institutione huius rei semper habendam mihi rationem duxi, neque id sine fructu. Meministis, credo, haud pauci vestrum, AA., quomodo Terentii versus, in quibus an omnino numeri inessent virum aliquem e doctorum numero aliquando dubitantem audivi, scandens ego in scholis effecerim, ut eorum numeri vobis paterent, eosque versus sine difficultate ipsi scanderetis. Tum, quod maius erat, simul vobis patebat, qua arte poëta parasiti jactantiam de ratione, qua post longam peregrinationem in urbem suam redux a multis ex veteri consuetudine notis ipsi hominibus exceptus esset, aptis rei numeris expresserit:

Concúrrunt laeti mí óbviam cuppédinarii ómnes,
Cetárii, lanií, coqui, fartóres, piscatóres,
Quibus ét re salva et pérdita profúeram et praesum saépe.
Salútant, ad coenám vocant, advéntum gratulántur [1]).

Qua arte rursus amantis iuvenis, de amici perfidia querentis, dolorem his longe aliis numeris extulerit.

Hóccine crédibile aút memorábile est,
Tánta vecórdia innáta cuiquam út siet,
Vt malis gaúdeant átque ex incómmodis
Alteriús sua ut cómparent cómmoda [2]).

Sed nisi impudentior ego, certe ineptior, qui vobis, nihil id flagitantibus, sic quasi iterem lectiones meas. Sunt haec senis, AA. invitante ipsa huius diei festivitate paulo iam loquacioris facti. Condonetis id mihi, quaeso.

---

[1]) Evn. II. 11, 25 seqq.
[2]) Andr. IV. 1 pr.

Cum ad Eloquentiam quoque mihi instituendi essent iuvenes, equidem ratus, vere dixisse QVINCTILIANVM: *is se multum profecisse sciat, cui* CICERO *valde placuerit*, multus ipse fui in tractando cum discipulis CICERONE. Ibi quoque animadvertendi erant numeri. Nam et prosa oratio suos habet, quamvis diversos a poëticis. Et fuit adeo diligentior in iis CICERO, cui Demosthenes ipse non satis semper aures implebat. Sed maiora in CICERONE observanda erant, illa ipsa, ob quae tantum ei tribuit QVINCTILIANVS. Haec, in eius Orationibus praesertim conspicua, fecere, ut frequentius harum praestantissimam quamque mihi potissimum tractandam sumerem, librum in Verrem quartum, Milonianam, Phillippicam secundam. Quoties autem maiorum profectuum nactus eram discipulos (et nactus deinceps sum complures) cum hac Tulliana eloquentia saepe me conferre iuvit Demosthenicam, diversam ab ea quodammodo, at non inferiorem certe, sed in aliqua sobrietate ornatus haud minus saepe virium ac ponderis habentem. Certum mihi erat, ut quod certissimum, horum immortalia opera virorum omnibus, qui illa intelligerent, ut clarissima, ita utilissima esse in omne tempus eloquentiae exempla. Sed auditorum meorum iis, qui deinceps ipsi scribere Latine vellent (et volebat ingeniosissimus quisque) proponendum ante omnia commendandumque erat optimum Latinitatis exemplum CICERO, maxime, cum voluntatem illam Latine i. e. bene Latine, scribendi apud iuventutem nostram aluisset Lex Regia super institutione Academica, maiorem honorem habens. iis, qui ad gradum Doctoris obtinendum adspirarent scripta defensaque publice dissertatione, praemia etiam proposuisset iis, qui Latina scriptione optime respondissent ad quaestionem ab aliqua Academicarum facultatum, quae dicuntur, de re quadam ad cuiusque provinciam pertinente propositam; unde mihi tum insigne natum est gaudium, cum tale praemium ob responsum ad quaestionem, quam primum tum Leidensis proposuerat Philosophiae Theoreticae et Literarum Facultas, retulisset discipulorum meorum unus, qui nunc, in Academia Leidensi, nec minus in re publica, clarissimi vir nominis, Regii status nuper administer factus, rebus Regni internis praeest.

Itaque eo tempore non dubitabatur, quin usus Latinae linguae in sermonibus, scriptionibus, lectionibus Academicis requireretur, neque ab eo facile in iis discedendum esset. Postea secus existimari coeptum est. Ne-

que omnino negari potest, esse in artibus ac disciplinis, quae in Academiis traduntur, quasdam, de quibus vernaculo potius quam Latino sermone lectiones docentem habere, sapientis esse consilii videatur. Sic, cum patriae exponenda est historia, absurdum est alio quam patrio sermone uti. Illa quoque omnia, in quibus recentiorum magis quam Veterum facta et inventa Professoribus exponenda eorumque discipulis tractanda sunt, Latini sermonis usum tametsi non repudiant, certe tamen haud flagitant. Sed omnino retinendus videtur ille usus, quoties agendum est de Graecorum et Romanorum veterum historia, antiquitatibus, literis; quoties Veterum Auctorum aliquis, quoties Iustinianeum Ius vel Academica lectione vel cuiuscunque docti hominis scriptione exponitur, aut aliquo modo tractatur. Sunt autem hodie multi, qui in his etiam usum illum derelinquere non vereantur, pauciores quidem adhuc in patria nostra, plures in exteris regionibus, maxime in Gallia. Vidi adeo nuper in Gallico Eruditorum Diario improbatum aliquem, quod laudatam ceterum dissertationem super argumento ad aliquam earum rerum, quas modo indicavi, pertinente, Latino, non Franco-Gallico, sermone scripsisset. Quas illi, qui sic statuunt, rationes sequantur, mihi, fateor, haud satis apertum est, nisi fortasse sic minus doctorum commodo (dicere nolim suo) consultum volunt. Equidem, ut contra sentiam, rationes habere mihi videor satis iustas. Primum, cum in lectione vel scriptione veteres illas literas tractante, quae vernaculo sermone proferatur, saepe tamen vocabula usurpanda sint Latina, vel citandi Latinorum Auctorum loci, necesse est sermo sic nascatur hybrida, varius atque ipsa hac varietate inficetus. Deinde, quod maius est, si pro communi quondam omnibus viris doctis lingua Latina iam de humanioribus literis apud varios Europae populos suae quisque patriae lingua scribat, grave sic orietur ubicunque incommodum, ut, qui progressum in iis literis scientiae sequi pleneque perceptum habere velit, unumquemque eruditorum oporteat etiam omnes Europae linguas cognitas perceptasque habere. — Sed hîc mihi videor Francogallum hominem audire dicentem, iam pro Latina suam linguam factam esse eruditorum hominum per Europam communem: itaque posse sic indicato a me incommodo consuli, si Francice iam docti homines omnes scribant. — Ast vereor, mi homo, ut vel Germani vel Britanni monito tuo obtemperent. Nolim equidem obtemperare

ei cives meos, quamvis, quod doleo, iam exempla huius rei in patria nostra exstent. Difficile est homini extero linguae Gallicae proprietatem et elegantiam ita prorsus assequi, ut sua Gallorum sermone scripta ipsis probet; difficilius, si mandatum eidem sit in Latinis literis tractandis ita versari, ut illius linguae proprietatem et elegantiam probe adsecutum se ostendat. Qui simul et hoc et illud venatur, in periculum venit, ut neutrum assequatur. Ad eam quidem Latini sermonis peritiam adsequendam non sine multo studio et exercitio perveniri potest. Exercitium dico scribendi Latine et in commercio cum eruditis vel erudiendis quotidianum fere eius linguae usum, quae cum negligant ac pene damnent Galli, quorum ceterum multi sunt hodie in multis veteris literaturae partibus, historia, antiquitatibus, inscriptionibus, re numismatica peregregie versati, vereor, ut vel si velint, possint amplius bene et proprie Latine scribere, quod ipsum indicio sit, sensum et intellectum Latinae tum proprietatis, tum elegantiae non nisi imperfectum illos habere, cui consequens est, ut etiam in tractandis Latinis auctoribus sensim hebetiores fiant ad percipiendum, sicubi forte in horum contextu, librariorum stupore, peccatum sit; minus etiam apti ad corrigendum istiusmodi vitium, vel ad probabiliter supplendum, quod per lacunam Codicis interciderit. Valet enim hîc idem, quod supra de male neglecto Latinae poëseos studio dicens indicavi. Neque tamen critica ars super antiquis scriptoribus hodie minus quam antea exercetur. Immo plures nunc cupidius saepe, quam prudentius in eam involant, nova plerique ratione procedentes. Scilicet olim Viri Docti id agebant, ut affectis veterum auctorum locis remedium afferre conarentur ex consultis collatisque MSS. Codicibus optimam lectionem seligendo, vel, si parum adiumenti Codices offerrent, quid ab Auctore profectum esset, probabiliter sua quisque ingenii dote coniiciendo, modesteque coniecturam eam proponendo bene sic de literis mererentur. Hac ratione exercendi criticam magnum quondam sibi nomen peperit e Brittannis Bentleivs, magnam meritamque famam sibi nostrates Heinsii Bvrmanniqve, Hemsterhvsivs, Valckenarivs, alii, quos secuti Rvhnkenivs et Wyttenbachivs. Sed recentiores, cum emendandi occasionem sibi ab heroibus illis fere praereptam videant et tamen ipsi quoque criticam factitando gloriam sibi quaerere studeant, eam venantur haud iam emendando, sed amputando, resecantes in auctore plurima hanc unam saepe

ob causam; quod illa non aeque splendent ac cetera; quasi in poëtarum, qui nunc sunt, carminibus par sit omnium splendor, vel, ut hoc utar, primarii inter Tragicos Gallos CORNELII fabula AGESILAVS, non sit CORNELII, quod CINNAM eius maiestate non aequet. Modestiores veteres Critici Alexandrini, quos in Homeri carminibus suspectos versus habebant, contenti erant obelo notare, ceterum eos in exemplis suis relinquebant. HORATIVS HOMERVM aliquando dormitare indignatus, sic in dormitante tamen HOMERVM agnoscebat. Postea ipsi HORATIO unum alterumque locum abiudicans BENTLEIVS, satis habuit illos, ut suspectos, uncis includere. At recentiores, quae ipsis minus placent, saepe statim eliminare non verentur. Memini in Graecis scholis molestiam aliquoties mihi parere, quod tractandos a me veteris poëtae versus frustra discipuli in editione, qua utebantur, BRVNCKII quaererent, quippe eliminatos ab eo. Et tamen adhuc modum aliquem in hac re servavit BRVNCKIVS, eratque hic minime contemnendus ingenio doctrinaque vir. Hoc seculo demum magis magisque, in Germania maxime, invaluit illa haud temere ab indignante WYTTENBACHIO dicta ventosa ac pene procellosa critica, nihil ferme in veterum scriptis certum ac stabile relinquens; mutando, transponendo, resecando mira audacia ac protervitate in iis grassans. Et videri volunt sic se veros nobis veteres auctores restituere, qui si reviviscerent, in isto recentiorum foetu ne umbram quidem sui agnituri essent. Non sic bene bonis literis consulitur, neque in hoc sane, ut felix, praedicanda mihi videtur earum hoc tempore fortuna. Sunt, fateor, aliorum minus absurdi in hoc genere lusus, quique placeant ut amoeni in ludente ingenii documenta. Attamen ad promovenda humaniorum literarum studia parum iis inest bonae frugis. Retardat eadem, in tironibus duntaxat, omnis morosior critica, quod illis iter ingredientibus nimis crebro scrupulos obiicit, ubi potius ad progrediendum impellendi erant explanatâ iis quam maxime via monstratisque offerentibus se ibi plurimis, aspectu dulcibus, venustis, pulcris, ad usum fructumque vitae opportunis, commodis. Esse mihi videtur etiam hoc aetatis nostrae malum, quod multi Viri Docti meritoque in literis auctoritatem nacti procliviores sunt ad detrahendum de Veterum laudibus, ut cum Ciceronem in multis minus probandum arguunt. Quod tametsi pro parte non temere dicitur, tamen nisi adiunctam habeat summi Oratoris commendationem,

parem ferme ei quam Ciceroni Qvinctilianvs tribuit, sane verendum est, ne laudabilem illum impetum adolescentium, quo ad multum versanda Tulliana scripta ferebantur, vehementer minuat ac pene frangat.

In Historia, illa praesertim, quae cum mea docentis provincia arctiore vinculo coniuncta erat, nostra aetate duo viri inprimis magnum merito nomen adepti sunt, Germani natione ambo, Heerenivs et Niebvhrivs, quorum alter ille tum de omni historia praeclare scriptis suis meruit, tum unus exactissime nobis veterum populorum politicam, commercia, mercaturam nova luce ab se collustrata exposuit; Niebvhrivs autem hominum studia auxit acuitque ad diligentius inquirendum in Romanam priorum quinque ab V. C. seculorum historiam, in qua ipse, quod antiquis historicis, ut parum certa tradentibus, haud temere fidem habendam statuebat, plurima non veritus est novare. Profecto erat homo ille acutissimi ingenii, sed qui nimis huic indulgens in novandi studio longius, quam par erat, sese passus est abripi, ut in dubitando quoque modum fere excessit. Sint non omnia, quae ab Livio aliisque historicis de primis Romanae rei publicae temporibus traduntur, aeque certa: sed neque illa certa et saepe obscuriora sunt indicia, quae secutus Niebvhrivs novam nobis rerum Romanarum imaginem effinxit. Praestat igitur, in summa certe, veriorem illam habere, quam secundum antiquos nobis Cicero in primo suo de re publica libro exposuit, cuius aetate, ut postea Horatii, exstabant adhuc Regum Romanorum foedera, census tabulae, aliaque huius modi prisci temporis monumenta, ut iam nihil dicam de pontificum annalibus, ab antiquissimo inde tempore rerum quovis anno gestarum memoriam tuentibus.

Sciunt omnes, qui historiam tractant, magnum ei subsidium esse in re Veterum numismatica, quapropter haud reticendi nobis sunt optime de illa nostra hac aetate meriti accuratissimae diligentiae viri, in Germania Raschivs, Eckhelivs, in Gallia Normandvs. Multum quoque ut Graecis literis, ita Graecorum populorum historiae profuit editum superioribus annis Berolinensis Academiae consilio et sumtibus a doctissimo viro Boeckhio Inscriptionum Graecarum Corpus. Praedicandum quoque hîc inprimis quod antiquissimis Aegypti rebus praeclare ante aliquot annos lux oborta est, inventa per Champollionem ratione inscripta in monumentis eius regionis hieroglyphica legendi, cui parem lucem ad illustranda regni veteris Assy-

riorum res utinam aliquando afferat reperta denique ratio cuneiformibus literis inscriptiones in erutis nuper antiquissimae urbis Nini reliquiis legendi.

Haec omnia, quae memoravi, subsidia, ut item alia, quae memorare hîc longum sit, mihi quoque in Historicis lectionibus, necnon in iis, quas super Graecis Latinisque Antiquitatibus habebam, haud mediocriter adiumento fuere. Sed dicendum hîc, quod res est. In Historia tradenda nunquam plene satisfacere mihi potui. Statueram equidem in Academicis super historia lectionibus docentem haud contentum esse debere nuda factorum expositione, sed agendum ei quoque de factorum eventuumque causis, exponendum esse populorum mores, rerum publicarum instituta et regiminis formam, describendum excellentium virorum characterismum, explorandum res historiae controversas. Sed cito animadverti, plerisque auditorum ita parum cognita esse ipsa facta, vel illustriora, veteris historiae, ut omnino mihi necesse foret exponendis iis diutius semper immorari. Desiderabatur praevia institutio, quam nunc spes est fore ut profecti e Gymnasiis discipuli pleniorem inde secum ad Academicas lectiones afferant.

Sed Gymnasiorum mentione facta non dissimulandum est super iis mihi residere scrupulos metumque, ne fortasse nova iis inducta forma, rerumque ibi addiscendarum copia, et literis, quas eximie tueor, detrimentum et discipulis, qui illic instituuntur, diligentioribus quidem, incommodi nonnihil afferat. Quarum artium doctrinarumque aliqua est inter se necessitudo, illae si eodem tempore adolescentulis per vices tradantur, nihil id sane habet, me iudice, quod vel institutioni cuiusque illorum obsit, vel discipulos nimium gravet, cum adeo coniuncta illa affinium inter se rerum traditio faciat ut una alteram illustret, iuventutique res illae sic per vices traditae aliquam etiam afferant ex varietate delectationem. Itaque nihil sane impedit quominus in Gymnasiis cum Graecarum Latinarumque literarum disciplina coniungatur ut historiae, sic etiam geographiae veteris et antiquitatum, quae dicuntur, praevia quaedam institutio. Num idem dicendum de Matheseos in Gymnasiis disciplina? Est quidem hîc duntaxat dubitationi locus. Attamen, cum ipse unus eram e quinqueviris Legis super Academica institutione conditoribus et collegarum meorum unus de male neglecto apud nostrates matheseos studio graviter nec temere conques-

tus ei malo remedium paratum censuerat, si institutionis in Gymnasiis pars fieret matheseos disciplina, equidem, qui praeclaram hanc artem ipse magni facerem, nihil id admittere gravatus sum, quamvis super eventu rei prospero addubitans, cum mihi videretur maior semper ab institutione in eam artem sperandus esse fructus, si seorsim unus, quam si, ut Gymnasiorum ratio fert, plures simul instituantur, cum sic necesse sit, ut discipulorum aliis magister progredi tardius quam ipsi velint, aliis citius quam pro captu suo videatur. An falsus fuerim opinione diiudicandum aliis relinquo. Ceterum iuventutem in Gymnasiis etiam mathematica disciplina uti neque nunc improbo, modo se institutio eius ferme intra elementa artis contineat, aut certe non multo ulterius progrediatur, cum alioqui futurum verear, ne plus ei temporis et studii impendendum sit, quam fieri possit sine detrimento illius studii, quod, si quid video, primarium esse etiam nunc in Gymnasiis nostris debet. Sed est aliud, quod multis de causis minus probandum mihi videtur: iuventuti, quo tempore per Graecas Latinasque literas erudienda est, addiscendas in Gymnasiis simul proponi recentiores linguas. Habet quaeque lingua suum ingenium, suam grammaticae, syntaxeos, stili proprietatem, ac diversitatis multum est inter veteres linguas et recentiores hasce. Qui simul his et illis operam dat, vix est ut ullius ingenium probe percipiat, ullius proprietatem bene adsequatur. Imo, confundant multa addiscentes, illa praesertim aetate, necesse est. Itaque omnino praestare duco ut illa recentiori cuidam linguae danda opera Gymnasiorum institutionem vel praecedat, vel sequatur. Qui nostratium iam in puerilibus scholis exacte vernaculi sermonis grammaticam et syntaxin atque insuper, ut honestiores plerique, Francicam linguam addidicerit, deinde autem in Gymnasiis veterum linguarum scientia probe imbutus fuerit, is postea nullo negotio familiarem sibi reddet, quam voluerit, recentiorem linguam. Scio, quae possint obiici, quidque vulgo homines sequantur. Sed equidem aureum duco illud vetus dictum, *non multa, sed multum.* Qui in meas scholas veniebant profecti e Gymnasiis discipuli, quod ibi in una re maxime se multum exercuerant, longe illi antecellebant alios, quibus in domestica institutione pravo parentum consilio studium dividendum in nimis multa fuerat. Erit nunc quoque fortasse, multi multa tenere ut dicantur; sed vix erit, ut eorum plures multa illa,

ut oportet, vix, ut firmiter pleneque teneant. Tum, si qui erunt diligentiores, discendique in tantum avidi adolescentes, ut ex tot, ad quas simul instituuntur, rebus, nullam negligendam sibi putent, in omnes pariter amplectendas indefesso studio, adhibitis cunctis tenerae adhuc mentis viribus, operam dent, metuendum sane est, ne quorundam nimia hac intentione fatigata sensim hebetetur mens, atque ipsi denique prorsus deficiant; cuius rei tristia iam exstant exempla.

Mihi quidem, AA., persuasissimum est eum, qui in Gymnasiis ac deinde Academica institutione id adsecutus fuerit, ut Auctores Veteres probe intelligens ita quoque penitus sit illorum amore imbutus, ad multa alia deinceps vitae munia obeunda paratissimum fore, quaeque ille postea vel ore vel scripto protulerit, omnia relatura esse sensum pulcri magnique per Veterum lectionem factum ipsi proprium. Sunt multa, in quibus praestant Veteribus recentiores, sed ab illis semper petenda erunt elegantiae, non calamistris aut fuco arcessitae, sed simplicis sinceraeque exempla. Per haec depulsa fuit Europae barbaries. Haec secuti maximum sibi nomen compararunt recentiorum elegantissimus quisque, poëtae, oratores, historici. Haec iam parvi facientes quidam modum ingenio suo ponere non norunt ac pravo, quae rerum humanarum natura, quae vita seculi fert, omnia, vel turpissima quaeque, scriptis suis exprimendi studio abrepti, venustiorum hominum pulcri decorique sensum offendere nihil verentur. Denique de his literis studioque in his posito valet etiam nunc, quod CICERO dixit: *Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.* Qui me auditis, Athenaei nostri vel Seminariorum alumni, credite iuvenes mihi seni; credite homini iam pene sexaginta annos in his literis studiisque versato. Vere sic dixisse CICERONEM omni illo tempore expertus sum. Iam adolescentulo mihi studia illa in deliciis fuerunt, salutare tenerae menti pabulum praebentes. Senem me haud sane minus oblectant. Qui recentiorum pleraque non nisi obiter percurrere soleo, nec facile lectionem eorum repeto, eundem me Veterum lectionis, Graecorum quidem HOMERI, tragicorum, historicorum, oratorum, Socraticorum, Latinorum autem inprimis TERENTII, CICERONIS, LIVII seculique Augusti poëtarum ita nunquam satietas capit, ut illi de-

cies lecti postrema quoque lectione magis semper mihi placeant. Divino in me favore pleraeque res meae secundae fuerunt, iisque haud parvo ornamento literae. Sed, cum patriae casum, coactae iugum externum pati, dolebam, posteaque, cum dulcissima priori coniuge orbatus triste illud viduitatis tempus transigebam, eaedem literae mihi perfugium et solatium fuerunt, cum viduo quidem saepe illae pernoctantes. Rusticantem me secuta Hesiodi Opera ac Dies, Virgilii Georgica, saepe mihi rusticationis voluptatem auxerunt, ut item saepe hiemali tempore a me cum discipulis lecta eadem, quod amati me ruris admonerent, eo gratiora mihi fuerunt. Peregre degenti studia haec inventos forte ibi viros doctos statim mihi conciliarunt; non inventis in eorum locum mihi subintrarunt. Quae cum tanta inde bona mihi obvenerint, vos quoque, Ornatissimi Iuvenes, fieri compotes eorundem velim, vosque appetere iam nunc ea, quae vobis quoque in omnem vitam futura sunt subsidia, praesidia, ornamenta, oblectamenta, in adversis rebus, quas humana fert conditio, perfugia ac solatia. Quare id agite, in id omnes animi ingeniique vires intendite, sintque in eam rem vobis adiumento omnes, quibus iuventutis commoda sunt curae. Vos inprimis, Athenaei nostri vel Seminariorum Curatores, Viri Praestantissimi, vos, quibus commissa est Gymnasii in hac urbe cura, vel tradendi ibi literas provincia, Viri Spectatissimi, Doctissimi, vos omnes oro atque obstestor, ut eas literas, quas ego quinquaginta annos tueri conatus sum, elanguere hîc et inferiore aliquo loco esse non sinatis. Vos etiam, Viri Clarissimi, collegae mihi coniunctissimi, quamvis sua cuique sit provincia, cuius praecipua semper ei cura esse debet, mecum tamen, ut puto, in id consentientes, sensum elegantiae quam utile sit in cuiusvis artis traditione apparere, maximeque eum per laudatas a me literas acquiri, vos igitur etiam rogo, atque oro, ut vobis eas in honore esse omni modo, vestroque maxime, quantum par est, exemplo ostendere porro velitis. Denique omnes, qui auctoritate aliqua inter cives suos praediti hîc adsunt, pariter oro atque obtestor, ut earum patrocinium literarum suscipiant, vel susceptum iam porro praestent his maxime temporibus, cum iam in dies crescat numerus eorum, qui illis non iustum honorem tribuunt. Et est, ut huic confidam patrocinio. Nam certe, qui diebus hisce, qui cum maxime hodie mihi ab ornatissimis tot viris honor habitus est et habetur, is

non mihi magis, quam bonis literis habetur. Apud multos adhuc in honore esse eas literas declaravit mihi tanta eorum hodie hoc loco frequentia, quorum in eas benevolentiae firmandae augendaeque si vel minimum visus fuero mea hac oratione contulisse, erit ut de hoc maxime mihi gratuler, idque habeam quasi cumulum additum bonis, quorum partem recensui, sed quae Summus bonorum Dator quinquaginta annos minimo meo vel potius nullo merito infinita in me contulit, de quibus igitur omnibus, ut de hoc postremo, soli sit Deo gloria. Dixi.

ATHENAEUM

DAVENTRIENSE.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS

QUI

IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT

A. D. 16 FEBR. 1849 A. D. 16 FEBR. 1850.

J. VERBURG, Th. D.
P. BOSSCHA, Ph. Th. M. L. H. et J. U. D.
J. DUYMAER VAN TWIST, J. U. D.
M. J. COP, M. M. Ph. N. D., h. t. Rector Magnif.
G. J. A. JONCKBLOET, Ph. Th. M. L. H. D.
V. S. M. VAN DER WILLIGEN, M. M. Ph. N. D.

S. SUSAN, Ling. hod. Lector.

ORDO LECTIONUM

HABENDARUM

IN ILLUSTRI DAVENTRIAE ATHENAEO,

A. D. XVIII M. SEPT., A. MDCCCXLIX, USQUE AD FERIAS AESTIVAS A. MDCCCL,

RECTORE MAGN. MARINO JOHANNE COP.

M. J. COP Chemiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, horâ XI. Botanices elementa tractabit, iisdem diebus horâ XII. Artis pharmaceutices studiosis Chemiam tradet diebus Martis, Jovis et Saturni, Botaniam autem diebus Lunae et Mercurii eadem horâ IX. Chemiam theoreticam atque analyticam docere et ordines plantarum naturales exponere paratus est. Exercitiis chemicis quotidie praeërit. Favente anni tempestate, cum auditoribus excursiones botanicas instituet. *Publice* de plantarum vita disserendo agrorum culturae praecepta illustrabit.

J. VERBURG diebus horisque commodis, initia linguae Hebraeae tradet. Porro provectioribus discipulis, ad penitiorem monumentorum Hebraeorum cognitionem aditum patefaciet, illustrandis varii styli speciminibus, diebus Mercurii et Veneris, horâ X. Linguae Arabicae exercitiis occasionem dabit, diebus Martis et Jovis, eâdem horâ. De Antiquitate Hebraeâ lectiones habebit, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ XI. Christianam doctrinam Moralem si qui, hoc anno Academico, tradi sibi cupiant, et horum desiderio satisfaciet.

P. BOSSCHA Historiam vet. univ. ad ductum Compendii sui tractabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora meridiana. Antiquitates Romanas explicabit, diebus Lunae, Mercurii et Jovis, horâ XI. De scriptore Graeco et Latino explicando diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ X, consilium cum auditoribus inibit.

J. Duymaer van Twist Institutiones Justinianeas explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ IX. Historiam Juris Romani tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, horâ XII. Pandectas docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ XI. Gaji Institutionum Commentarios exponet, diebus Lunae et Mercurii, horâ X. Iis, qui aliarum juris doctrinae partium studio operam dare velint, dux erit, tempore postea cum auditoribus constituendo.

G. J. A. Jonckbloet Historiam patriae enarrabit diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ XI. Poeseos belgicae historiam tradere perget diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ XII. Litteras mediobelgicas docebit diebus Martis et Jovis, horâ X. Elementa linguae Gothicae tractabit ad ductum compendii Cll. v. d. Gabelentz et Loebe, diebus et horis cum auditoribus constituendis. Archaeologiam belgicam explicabit diebus Mercurii et Veneris, horâ X. Eloquentiae quae dicitur exterioris exercitiis et disputationibus academicis praeërit diebus dein indicandis.

Publicas habebit *lectiones* historico-politicas die postea indicanda.

V. S. M. van der Willigen Elementa Geometriae explicabit, diebus Martis, Mercurii et Jovis, horâ matutina VIII. Arithmeticam universalem docebit, diebus, Mercurii horâ IX, Jovis horâ IX et Veneris horâ matutina VIII. Physicam theoreticam atque experimentalem, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ post meridiem I. Logicam tradet diebus, Martis et Veneris horâ IX. Mathesin sublimiorem, Physicam mathematicam et Astronomiam theoreticam atque practicam tradere paratus est, diebus et horis postea cum auditoribus constituendis.

Astronomiam quam popularem vocant *publicis* exponere perget *lectionibus*, horis dein indicandis.

Sallius Susan, *Litterarum hodiernarum Lector*, Athenaei civium, qui Litteras Germanicas, Anglicas, Italicas et Gallicas sibi tradi cupient, desiderio lubens satisfaciet. Idem cum auditoribus de tragoedia Anglica, *Shakespeare's Hamlet, Prince of Denmark* inscripta, ad ductum auctioris editionis *Collier Payne's Edition*, nuper emendatae, disseret.

ANNALES

ACADEMICI.

CIƆIƆCCCL—CIƆIƆCCCLI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU. | PROSTAT APUD E. J. BRILL.

1855.

Quae hoc annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

	Pag.
Nomina Professorum, caet.	3.
Oratio Rect. Magn.	5.
Acta et gesta in Senatu	29.
Inwijdingsrede van den Hoogleeraar R. P. A. Dozy	33.
Inwijdingsrede van den Hoogleeraar S. Vissering	55.
Series Lectionum	81.
Numerus Studiosorum	89.
Doctores creati	90.

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

Nomina Professorum, caet.	99.
Oratio Rect. Magn.	101.
Acta et gesta in Senatu	130.
Series Lectionum	132.
Numerus Studiosorum	140.
Doctores creati	141.

ACADEMIA GRONINGANA.

Pag.

Nomina Professorum, caet. . . . . 147.
Oratio Rect. Magn. . . . . 149.
Series Lectionum . . . . 179.
Numerus Studiosorum . . . . 185.
Doctores creati . . . . 186.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

Nomina Professorum . . . . 193.
Acta et gesta in Conventibus, caet. . . . . 194.
Series Lectionum . . . . 195.
Numerus Studiosorum . . . . 200.
Inwijdingsrede van den Hoogleeraar G. E. Voorhelm Schneevoogt . . . 201.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

Nomina Professorum, caet. . . . . 237.
Ordo Lectionum . . . . 238.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI,

INDE A D. IX FEBR. MDCCCL AD VIII FEBR. MDCCCLI,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

JOHANNES DE WAL,

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

HENRICUS COCK.

IN FACULTATE JURIDICA.

J. DE WAL.
H. G. TYDEMAN, quantum aetas et valetudo sinebant.
C. J. VAN ASSEN.
H. COCK.
S. VISSERING.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, quantum aetas et valetudo sinebant.
N. C. KIST.
J. F. VAN OORDT, J. G. FIL.
J. H. SCHOLTEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. G. C. REINWARDT, quantum aetas et valetudo sinebant.
J. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. J. VERDAM.
F. KAISER.
G. H. DE VRIESE.
P. L. RYKE, Prof. Extraord.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

M. SIEGENBEEK, quantum aetas et valetudo sinebant.
J. BAKE.
J. M. SCHRANT.
A. RUTGERS.
T. G. J. JUYNBOLL.
J. H. STUFFKEN.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY, Prof. Extraord.

IN FACULTATE MEDICA.

M. J. MACQUELYN, quantum aetas et valetudo sinebant.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
G. C. B. SURINGAR.
F. W. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS, Prof. Extraord.
H. HALBERTSMA, JUST. FIL., Prof. Extraord.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. Extraord.

LECTOR.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector German. Litt.

IOHANNIS DE WAL

ORATIO

DE

DETRIMENTO,

QUOD NEGLECTUM HISTORICUM IURIS NOSTRI STUDIUM

PATRIAE DISCIPLINAEQUE ADTULIT,

DICTA

DIE VIII M. FEBRUARII A. MDCCCLI,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET AUCTOR.

QUICUMQUE LITERARUM CURATIONE ILLUSTRES, DOCTRINAE LAUDE CLARI, HONORUM AC MUNERUM DIGNITATE CONSPICUI, AUT DISCIPLINARUN STUDIO ADLECTI, HOC FESTO DIE HIC ADESTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Nondum dimidium praeteriit lustri, a quo die ex hoc suggestu, docendi munus auspicaturus, coram insigni auditorum frequentia verba facerem.

En iterum eundem, rectoris provinciam abdicantem, hunc in locum dicendi causa prodeuntem.

En iterum oratorem exiguae sibi in dicendo facultatis conscium graviter animo commotum, quum hanc lectissimam spectatorum virorum coronam circumspicit.

Doctoris publici officium suscepturo nulla profecto de argumento, in quo versarer, mentem subire potuit dubitatio. Est enim vetus neque improbandus oratorum Academicorum mos, qui ex cathedra solenni ritu docendi munus suscipiant, eam disciplinarum provinciam, ad quam tuendam vocati sint, ita laudibus efferre, ut splendidissimo coetui persuadeant, suam potissimum aetatem ad illud scientiae genus recte excolendum aptam esse idoneamque.

Nova quibus aucta sit ac ditata disciplina enumerare atque ostendere adminicula, singulares sui temporis opportunitates exponere, quae ipsius promoveant ac quasi provehant studium, rationem indicare unice sectandam, vim denique atque efficaciam, quam in aliis humanae scientiae partibus exerceat, abunde explicare solent.

Neque ego, AA.! hoc quod plurimi faciunt reprehendere aut vituperare ausim, quin et ipse eandem secutus sum viam, neutiquam melioribus quempiam auspiciis gravissimum docendi munus suscipere posse arbitratus, quam sententia de disciplinae amplitudine candide dicta ac copiose exposita.

Nunc vero equidem in apto satis neque ingrato disputandi argumento eligendo, diutius haesitavi. Nimirum quo copia amplior, eo difficilior optio. Multum beati mihi illi videntur, qui, ut alios ad sua studia iuvanda èxcitent, maiorum praedicent exempla illustria, sive universi populi, procerum imprimis, prudentiam in doctrinis promovendis pie recolentes, sive virorum de patria ac disciplina egregie meritorum laudes celebrantes, horum virtute atque ingenio haud indignas. Quod tamen dicendi genus me iudice difficilius est habendum, quam multis videatur, quum mentem bona quaevis ac pulcra facillime amplexam ita saepe capiat argumenti suavitas, ut admiratio subinde iudicio noceat.

Haec mecum reputanti et singularem respicienti gloriam, quam ICti Belgici suo merito assecuti sunt in illa, quam prae caeteris diligo, historica iuris indagatione ad elegantissimum Iuris Romani studium adhibita, quotidie manibus terebantur permulta ista nostratium de antiquo Iure Patrio scripta, in quibus, si pauca exceperis, historiae luminis affusi nec vola nec vestigium reperiri potest. Rem, AA.! eiusque causas antea coram vobis leviter tetigi: effectus vero indicare non sivit argumenti tunc expositi ratio. Quare non ab hodierna dicendi opportunitate alienum esse arbitror, hisce accuratius inquirendis enarrandisque hanc operam dare.

Vos igitur, rogo, benevolas mihi praebeatis mentes adtentasque aures dicenti *de detrimento quod neglectum historicum Iuris nostri studium patriae disciplinaeque adtulit.*

In quo argumento exponendo ipsam historiam ducem sequamur, et tum diversa Iuris nostri antiqui monumenta per singulas aetates perlustremus, tum rationem, qua in iis explicandis negotiisque forensibus tractandis versati sunt ICti.

Antiquissima illa non nisi obiter attingo, quae iura gentium Germanicarum popularia dicuntur, quamvis hodie certe a peritissimis vetustatis arbi-

tris haud immerito statui concedique videatur, magnam illorum partem in hisce ipsis regionibus vel scripto consignatam esse vel eximiam in vita civium regunda exercuisse auctoritatem.

Unum illud monendum esse arbitror, haec ipsa iura non modo, si inter se comparentur, insignem quandam arguere diversitatem, sive externam earum formam atque amplitudinem, sive ipsa legum praecepta spectemus, verum etiam in plurimis tam clare ac perspicue commune Gentium Germanicarum ingenium ostendere atque universalia multa iuris principia, quae cum populi indole arctissime cohaerebant, ut, comparatione recte instituta, parentum vitae socialis quasi imaginem referant, historiamque periodi remotissimae, e paucissimis duntaxat fontibus eruendam, egregie illustrent. Praeterea nos, Iurisprudentiae cultores, illud inprimis docent, qui factum sit, ut tanta deinceps in variis patriae regionibus sese exserere potuerit iuris diversitas, cuius difficultates exagitare quam origines indagare maluerunt haud pauci.

Accedebant hisce in scripturam iam redactis Capitularia Regum Francorum, quorum notitia ut ad omnes suo imperio subiectos pervenire posset, egregie prospexerunt Carolus Magnus, eiusque successor Ludovicus, per celebres illos Missos dominicos, "in legatione sua videntes, ut praecepta et immunitates ita observarentur, quemadmodum a Regibus essent constituta, et cunctas iniustas consuetudines noviter institutas auferrent." Ubique porro Comites aliique nobiles, iudicium habentes, si non iudicassent secundum Provinciarum consuetudinem, honoribus privabantur mulctaque satis gravi afficiebantur. Litigantes vero, si causam iudicatam repetere praesumsissent in mallo, ibique testibus convicti essent, aut quindecim solidos componere, aut totidem plagas accipere debebant a Scabinis, qui causam prius iudicassent. Sic imperio stabilitatem, ecclesiae salutem, iustitiae vim ac robur, populo quietem vindicare studuerunt Principes.

Mox autem ex neglecto historico iuris studio calamitatem perpessi sunt omnes, qui hisce Capitularibus obsequium praestare tenebantur. Scilicet postquam Ansegisus et Caroli et Ludovici collegisset constitutiones, iisque deinde alia decreta addidisset, medio saeculo nono alteram Capitularium collectionem conficere instituit Benedictus Levita, qui, ut clericorum potestati in re publica tuenda inserviret, mirabili sane audacia, operi intexuit Regi-

busque obtrusit quam plurima excerpta, in legum formam redacta, petita e Sacra Scriptura, Breviario Alariciano, Iuliani Novellis, Augustini, Ambrosii, et Isidori scriptis, Rufini, Cassiodori et Bedae historiarum libris, Bonifacii epistolis ac statutis, tandem Iuris Canonici fontibus, aliisque bene multis auctoribus. Videtis, AA., quanta esse debuerit illorum temporum ignorantia, quandoquidem nemo ex tot vetustatis Germanicae testibus vel odoratus sit impostoris protervitatem: imo decies repetita placuit superioribus saeculis supposititiae collectionis editio, donec paucis abhinc annis nefariam fraudem luculenter exposuerit Knustius, vir sagacissimus et historiae profanae simul atque ecclesiasticae eximie peritus. Sic, uti ad ecclesiam turbandam Pseudo-Isidoriana collectione, ita ad Iuris publici privatique normas subvertendas aequalium ignorantia turpissime abusus est astutus veterator.

Paulatim vero periit et Legum popularium et Capitularium auctoritas post divulsum ingens istud Francorum imperium et adauctam insigniter cleri potestatem. Nec tamen novum sponte se exseruit ius consuetudinarium antiquis iuris principiis ad mutatam reipublicae conditionem accommodatis, cuius tunc demum vis propria cerni potuit, quum usu forensi et iudicum auctoritate certa quaedam et stabilis in iudiciis exercendis obtinuisset forma. Accedebant quidem Imperiales ex consilio statuum Imperii divulgatae constitutiones; sed hae neque multae erant, nec plerumque ad ius civile referebantur, neque universas semper spectabant Imperio Germanico subditas regiones. Miserrima interim diu mansit iuris, privati maxime, conditio, atque adeo obliterabantur pristini mores, ut incerto prorsus pede in iustitia tuenda insisterent iudices ac scabini. Quod eo processit, ut, quemadmodum ad quaestionem facti dirimendam in causis criminalibus iudicium Dei experirentur, ita quoque in difficilioribus iuris civilis capitibus ad sortem confugerent. Sic v. g., ut unum ex Witekindo, scriptore satis bono, exemplum adferam, „quum Imperante Ottone Magno, quaestio incidisset, num nepotes ex filio praemortuo, iure repraesentationis, cum patruis ad avi successionem essent admittendi, de legum varietate facta est contentio fuereque qui dicerent, quod filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemque legitime cum filiis sortiri, si forte patres eorum obiissent, avis superstitibus. Rex noluit causam arbitris iudicandam com-

mitti, sed magis rem inter gladiatores decerni iussit. Vicit pars, qui filios filiorum computabant inter filios, et firmatum est, ut aequaliter cum patruis hereditatem dividerent pacto sempiterno."

Postquam vero ille, quem modo memoravi, diem supremum obiit Princeps, concidit magis magisque Imperatoria maiestas, in diesque excrevit in singulis Regionibus Comitum potentia, qui, in nostra inprimis patria, per breve temporis spatium omnem sibi arrogarunt superioritatem, quam barbare dicunt, territorialem. Huius autem haud infima pars merito habebatur legum condendarum iurisque constituendi facultas: qua tam prudenter usi sunt Comites, ut et hoc nomine devincirent sibi subditos, praesertim eos, qui oppidorum iam opibus ac mercatura florentium et iure civitatis gaudentium moderatores erant ac cives. At vestra sane, AA.! abuterer patientia, si vel leviter adumbrare tentarem cuncta illa privilegia, a Comitibus et Dioeceseos Traiectinae Episcopis singulis regionibus, tractibus, civitatibus concessa, aut diversa describerem iura municipalia, quae oppidorum magistratus, ex auctoritate sibi speciatim tributa, ad consuetudinum vetustarum amussim colligere et scripto consignare instituerunt.

Verum enim vero, ubi in scripturam redactae erant illae variorum locorum consuetudines, ita ut de earum vi atque auctoritate in vita civili et negotiis forensibus nulla amplius existere posset dubitatio, gravissimum sponte apparuit Iureconsultorum officium easdem ad singulas, quae oriebantur, causas adplicandi.

Quod initio quidem non adeo difficile esse potuit, quandoquidem nemo iuris tunc vigentis paulo prudentior nesciret, omnes eiusmodo regionum, oppidorum tractuumve minorum consuetudines nihil aliud continere nisi *iuris* cuiusdam universae genti *communis* partem, ad proprium vero civitatis emolumentum atque utilitatem accommodati; quarum auctoritas suapte natura hac nititur conditione, ut agnoscant illud commune ius, e quo, veluti varii ex eodem fonte rivuli, originem repetierint fluxerintque. Quoties igitur aut silebat specialis loci consuetudo, aut hunc modo illumve frequentiorem casum indicabat, recurrebatur ad commune illud ius, quod a patrum inde memoria a diversis maxime diversorum locorum incolis, utpote e communi stirpe oriundis, fuit usurpatum.

Videtis; AA.! quantopere errent ii, qui, quoties de iuris remotis his

saeculis in patria nostra conditione ac statu quaestionem moveant, disquisitionis fundamentum quaerant ac certam quandam basin in brevioribus illis *statutorum localium* ac *privilegiorum* collectionibus, quarum ieiunitati in iuris nodis extricandis et vita civili regunda succurrerit *ius* quoddam *subsidiarium.* Quae perversa sane sententia non nostra demum aut superiori aetate invaluisse dicenda est, sed ipso saeculo decimo quarto et decimo quinto, ubi crassa multorum, qui se litibus dirimendis controversiisque diiudicandis immiscerent, ignorantia circa illa, quae a maioribus erant tradita ac multorum saeculorum usu propagata, quamquam nativa populi indole reluctante, ad peregrinam avide confugerit doctrinam, ita ut qui simplicissimo suo cultu uti nescirent, alienis ornamentis iisque pretiosioribus se condecorari facile paterentur.

Scilicet quicumque parvas illas iurium collectiones, quas supra memoravi, adtenta mente inspexisset, statim animadvertere debebat, haud omne ius patrium consuetudinarium vel levi penicillo iis fuisse depictum: multa esse imprimis iuris privati capita, de quibus nihil omnino iis cautum compertum fuit: plurima quoque, ubi, missis generalioribus iuris principiis, certam tantummodo loci speciem respexit legis auctor. Atque hoc profecto animadverterunt singulorum locorum incolae, quorum usui nihil magis aptum videri possit quam simplicissima eiusmodi descriptio iurium, quae idonea sane ratione significaret, quatenus eorum nativa indoles, domestici mores vitaeque adminicula per plurimorum saeculorum spatium *propria* quaedam postulaverint et propagaverint *iura*, quae magis minusve a vicinorum institutis deflecterent ac discreparent: quorumque usurpatio cum *iuris communis* usu amice conspirare videretur.

Quemadmodum autem in limine collectionum quarundam, quae recentiori aetate apud nostrates legis auctoritate munitae sunt, aperte significarunt earum latores, nihil humanae memoriae confidere oportere, ita magis etiam per ea saecula, quum nulla fere exstaret iuris nostri disciplina, in excolendis generalioribus istis Iuris Germanici principiis parum feliciter versati sunt nostrates. Cunctis vero stirpis Germanicae gentibus mali remedium adtulisse dicendi sunt scriptores duorum operum celebratissimorum, Speculi Saxonici et Iuris Caesarei, utriusque forte ex antiquiore consuetudinum vetustarum descriptione repetiti. Priori opere non illa tantum

recensentur iuris instituta, quae, uti nomen indicare videtur, Saxonibus sint propria, sed universalia iuris principia, quae in septentrionali Germaniae parte sese exseruerint a Caroli Magni inde aetate, hoc volumine saeculo decimo tertio ineunte ab Epkone Repgovio (qui eius se auctorem professus est in praefationum una rythmica) distincte fuerunt tradita atque exposita.

Incredibili sane ardore hoc opus exceperunt non Saxones tantum, sed omnes paene vicinae gentes, ad Slavorum usque confinia in Oriente, ad maris Borealis oras in Occidente; nec quis facile dicat, quanta eius fuerit auctoritas in scabinorum apud nostrates iudiciis. Originem, fata variasque recensiones operis indicare non huius diei est nec loci: adtendenda vero cum maxime videtur ratio, qua in diversis regionibus hac communis Germanici Iuris descriptione usi sint incolae, qui saepius alia addere sibi propria, alia demere instituerunt, quae a suis moribus aliena existimabant. Nulla vero libri recensio a principe eius editione magis deflectit et novis accessionibus insignis est quam illa, quae debetur anonymo Belgico ICto, quaeque ante octogesimum saeculi XV annum Goudae typis descripta est. Quae ipsa editio, paucis annis post artem typographicam inventam, istud sane evincere videtur, ea aetate nondum omnem operis auctoritatem in foris nostris intercidisse, licet recentioribus saeculis in curiosorum magis, quos bibliographiae scrutatores dicimus, voluptatem pauca eius superesse videantur exemplaria, quam in commodum atque utilitatem illorum, a quibus disciplinae progressuum investigatio merito exspectatur.

Quodsi vero post renatas literas scholasque de Iure Romano et Canonico institutas in Italia, Gallia et Belgio, quas magno numero frequentarunt nobilissimi adolescentes nostrates, Iuris prudentiae studium ita excolere perrexissent iidem, ut in explicandis antiqui Iuris communis placitis iisque ad nova tempora componendis prudenti consilio essent versati, sponte exstructum fuisset Iuris Patrii aedificium, quod, sequiore aevo licet saepius sartum et novis incrementis auctum, iisdem semper innisum fuisset fundamentis, quae nec hodie evellenda forent. At non ferebat misera saeculi conditio, ut istud satis perspicerent homines, veram libertatem se cum maxime tueri, *veteris iuris principiis* constanter servatis, necquid in singulis tractibus antiquius habebatur quam illas tueri consuetudines,

quae *praeter* generaliora ista principia non tantum a maioribus erant recepta sed et partim literis consignata. Adde, immoderatam illam libertatis cupiditatem eo traxisse hominum animos ut in iis oppidis, quae mercatura opificiisque florebant, id maximum, id praeclarissimum haberetur, ut cives sibi ipsis leges darent, quae recognoscerentur quotannis. Quam novi iuris condendi potestatem haud paucas ob causas a Comitibus facile impetrasse oppidorum magistratus, unicuique notum est.

Insignis hinc in diversarum civitatium statutis orta est varietas, nec tamen initio tanta in iis capitibus, quibus *iuris privati* descriptio continebatur, quam in aliis, quae magis civitatis administrationem, securitatem pnblicam tuendam, delicta coercenda politiamque urbanam spectabant. Quam autem iudicandi normam sequi oportebat iudices in litibus circa civium negotia privata exortis? Arbitrariamne quandam *aequitatem?* At in plurimis ac difficilioribus iuris locis certae quaedam requiruntur regulae, quae nequaquam singulorum iudicum arbitrio permitti possunt, sine summo iustitiae detrimento. Erat insuper in multis diplomatibus medii aevi ad hunc usque diem servatis eadem fere repetita clausula: „quae hic scripto non sunt consignata, diiudicantor secundum iura, sollerti iudicio." Nihil aliud haec significat, nisi ius commune, quod tacito consensu sibi observandum sumserant cives, legitima indigens interpretatione, et religiosa utentium adplicatione in vita civili. Cuius iuris communis haud spernendam partem ipse sibi perpetuo vindicavit populus simplicissimis illis et gravissimis *paroemiis*, quae principia quaedam iuris patrii generaliora commode declarabant, omniumque memoriae inhaerebant.

Ex iis vero, quae supra diximus, AA! de ingravescente indies magis iudicantium imperitia, repetenda videtur origo instituti, quo magistratus urbis ab alterius urbis scabinis, per consultationem vel per modum appellationis et iurisdictionem prorogatam, sententiam peterent de nata difficiliori iuris quaestione: quod Goudanos a Leidensibus, Amstelaedamenses ab Harlemensibus, Delfenses a Sylvaducensibus, civitates Gelricas plurimas a Zutphaniensi tribunali, fecisse constat. Scilicet communis iuris antiqui consulti magis existimabantur ii, quibus ob maiorem civium numerum aut alia quacumque de causa plurimae dirimendae erant controversiae. Quis vero credat, genuina semper iuris nostri principia hac forensi discep-

tatione ad singulas causas esse adaptata? Quis neget, in miserrimo isto iurisprudentiae statu, multarum litium decisionem necessario peti debuisse ex statutis perverse collatis, quae aliquam inter se similitudinis speciem referrent?

Maiorem vero nostro iure civili certitudinem conciliare in votis erat Carolo Quinto, quum singulas regiones deinceps in suam redigeret potestatem. Anno tricesimo primo saeculi decimi sexti edicto iussit omnes colligi tractuum oppidorumque consuetudines. Auctores edicti promulgandi fuerunt ICti, qui Regi erant a consiliis. Neque res carebat exemplo. Nimirum idem per totum, quod praecesserat saeculum, in Francia iam cogitaverant Reges, a Carolo Septimo usque ad Ludovicum Duodecimum. At longe alia erat iuris conditio in illa Galliae parte, quae a Iure Consuetudinario nomen habebat, quam in plurimis nostrae patriae regionibus. Ibi iuris communis notionem dudum cum populo communicaverant Iureconsulti, qui, de propriis locorum moribus nihil detrahentes, varium apud diversos morem ita perscrutati fuerant, ut colligendo, comparando, deducendo, universales plurimas ex iis depromerent regulas, quae semper et ubique valerent, et generalia simul elicerent principia, quae germanam Iuris Germanici indolem referrent. Probationemne requiritis? Luculentissimum inspicite Bellomanorii librum, Bellovacensium consuetudines continentem, cuius auctor non tantum ad usum ipsius tractus pristinum, ad iudicia Claromontana, ad iura regionum vicinarum provocat, sed argumentum exponit e iure universali, non Romano, verum illo, quod omnibus in iis regionibus commune esse historica disquisitione instituta probe persentisceret.

Sed in viam redeamus, AA. et primarium Caroli Quinti consilium accuratius indagemus. Quod, si quid video, non aliud fuit, quam ut provincias Belgicas, Flandriam et Artesiam arctiori perpetuoque iuris vinculo coniungeret, et eadem opera suum confirmaret imperium. Quod tamen Imperatoris propositum non ita accipiendum videtur, ut ipsum diversis singulorum locorum consuetudinibus insidiatum esse dicamus, imo contra vel maxime ut de usu revera existente et domesticis loci rationibus nitente rite constaret et sic certior stabiliretur iuris conditio. Itaque id agebat ut in posterum nulla prorsus valeret consuetudo, quae non scriptis esset man-

data ac legitime confirmata. Edicto paucae obtemperarunt regiones, oppida pauca: repetiit idem Imperator, iterumque mox Dux Albanus. Iterum frustra. Cur tandem? Formidabantne cives, ne antiquis patriis institutis privarentur novaque ipsis iura obtruderentur invitis? At ex ipso edicto nobis quidem satis apparet Principis voluntas, ut sarta tecta manerent singularum regionum instituta, dummodo de iure reapse vigente liquido constaret, et resecaretur omnis discrepantia quae utilitate destituta nullo niteretur aequitatis principio.

Quodsi rem ex vero diiudicemus, et ipsa consulamus magistratuum in diversis patriae tractibus documenta, quae huc spectare videntur, hoc certe negari nequit, quantumcumque sit tribuendum causis politicis quae negotium differendum suaserint, in haud paucis regionibus ne doctiores quidem viros, siquidem de universo iure consuetudinario colligendo ageretur, eiusmodi mandato exsequendo fuisse idoneos. Inspicite, quaeso, consuetudinum collectiones sive tunc sive postea in scripturam redactas. Exhibentne vivam quasi imaginem iuris, quo regi solebant nostrates? An confitendum potius, etiamsi Pestelio adsentimur dicenti, rem hunc solum fructum tulisse, ut quae olim diffusae essent et solis pragmaticis notae civitatum leges non scriptae, illae eo tempore collectae innotescere omnibus possent, hoc ipsum iuris rectius constituendi operae vehementer nocuisse, et pragmaticorum tumultuariam istam sapientiam sic non aequalibus tantum sed et posteris legem scripsisse?

Sed me iam sponte delatum video ad Iurisprudentiae nostrae conditionem, qualis exstitit tempore liberae Reipublicae in singulis Provinciis foedere Traiectino coniunctis. Studium in legibus emendandis et ad novas tum civitatis tum religionis rationes accommodandis collocatum nemo sane praetervidebit, qui ingentem illam respiciat Consuetudinum reformatarum, Iurium Provincialium, Statutorum praefecturarum, Privilegiorum denique urbanorum copiam; ne de innumeris paene dicam Ordinationibus singularia quaedam specialia argumenta spectantibus. At vel sic non sublatam aut diminutam sed auctam contra et latius gliscentem agnoscatis Iurisprudentiae calamitatem, quam avitorum institutorum ignorantia et neglectum historicum Iuris Civilis studium iamdiu pepererat. „Cum enim" ita subiratus aliquando Bondamus, „novissimi Reformatores, solius Iurisprudentiae Romanae prin-

cipiis imbuti, pleraque omnia ad Iuris Romani decempedam exegerint, hinc sine dubio maxima quoque ex parte originem suam traxit contrarietas illa et diversitas iurium, quae in diversis Belgii regionibus obtinere vulgo credebatur. Hinc deploranda illa in multis iuris capitibus confusio et varietas: hinc diversae illae ICtorum opiniones: hinc tandem diversitas illa sententiarum ac decisionum, quae in tribunalibus nostris nonnumquam obtinet, cum idem Iuris caput nunc hoc, nunc alio modo saepe decisum legamus, prout iudicibus vel analogia Iuris Patrii vel Romani sequenda videretur."

Nimirum si legislatorum operam attendamus, hac aetate in cuiuscumque regionis iuribus certiori quodam fundamento superstruendis impensam, non *ieiunitatem* istam quidem de quâ antea diximus, at miram animadvertimus iuris proprii cum recepto *commixtionem*, ita ut saepius haereamus dubii, utrum revera universalia iuris patrii principia describere in animo habuerint, an ea recensere iuris capita, quae a Romano Iure, utpote multis pro communi habito, magis minusve discreparent. Eosdem porro in haud paucis ad *ius commune* provocare videmus, non tantum in iis locis quae cum Romani Iuris principiis satis cohaerere existimantur, verum et in aliis, quorum argumenta a vetustis Quiritium institutis toto coelo distant.

Ubinam igitur in legis articulis sic conceptis ad varias vitae quotidianae causas adplicandis certam iudicandi normam invenisse putemus iudicem? Confugeritne ad generaliora ista iuris Germanici placita, quibuscum arctior quaedam exstare videretur necessitudo loci, ad quem provocassent litigantes? At plurimi, ne doctioribus quidem exceptis, antiquitatis patriae tantopere erant ignari, ut, si quando ipsis persuasum foret, ex hoc cognitionis fonte nodi solutionem esse petendam, incertum vagaretur iudicium de vera huiusmodi placitorum mente et iusta eorum sententia. Quam si forte perspexerit sagacior aliquis doctiorque legum interpres, scrupulum iniicere debuit dubitatio, si in illam transiret partem quo sua se eruditio et iudicium vocarent, essetne ipsius legislatoris mentem secuturus, in aliis certe plurimis avita temere deserentis castra.

En ex ipso legum condendarum negotio post multas ambages in plerisque regionibus vel regionum partibus serius ocius ad finem perducto triplex Iuri nostro illatum damnum: primum insignis iuris diversitas: alterum

3

certissima proprii iuris inopia: tertium incerta in iure explicando et ad negotia privata componendo via ICtis monstrata.

Primum insignem dixi iuris *diversitatem*. Qua non intellectum velim ingentem statutorum copiam, quamvis et haec forte haud ita difficili negotio in communem civium salutum minuenda fuisset, si minor invaluisset inter singulas locorum leges iuris discrepantia. At ipsam hanc dico discrepantiam, quae nullo pacto per omnia iuris capita ex morum et vitae rationum varietate explicari potest, verum omnis fere tribuenda est legumlatorum arbitrio, qui, prout magis minusve in Iure Patrio indagando elaborassent, vel illud elegantiori ducti Iuris Civilis Romani studio spernere didicissent, maxime vero usum forensem respicientes, diversa saepissime probarunt placita; unde mira quaedam enata est iuris confusio, quoties unius civitatis cives actu solemni rebus suis prospicere vellent, quas in variis aliarum civitatium fundis possiderent. Quin et superiori saeculo ad finem vergente summum virum Keesselium nostrum, cum Theses Iuris subtilissimas ederet, ingenue fassum vidimus, se illud statim animadvertisse, fieri non posse, ut omnia, quae in universo Belgio, olim foederato, lata essent statuta, receptaeque consuetudines, in multis iuris capitibus non modo diversae, sed plane contrariae, in iustam quandam veluti harmoniam concentumque reducerentur.

Alterum porro damnum memoravi certissimam proprii iuris *paupertatem*. Scilicet uti recte dixerunt Veteres, paupertatem esse non quae pauca possidet, sed quae multa non possidet, sic nostra veteris iuris volumina, licet nonnumquam satis prolixa quin et verbosa, in plurimis saepius et illustrioribus locis nihil definiunt et cuncta utentium relinquunt iudicio. Ad subsidiaria quidem provocabatur Iura peregrina, sed optimis quibusque, etiamsi Ordinum agnoscerent in recipiendo Iure Romano prudentiam, id tamen persuasum erat, ius civile certiore indigere ordinatione. Omnes Provincias foederatas perfecta quadam copulare iuris aequalitate, uno eodemque per universam Rempublicam promulgato Codice, vix sperari poterat illo tempore, quo Summum Imperium non penes Ordines Generales sed penes Ordines cuique regioni proprios esset. Neque etiam singulis provinciarum locis sua iura adimenda erant, sed efflagitabat patriae salus iuris communis descriptionem, quae suppleret, sive paucis sive pluribus con-

iunctim regionibus, quod propriis istis iuribus definitum non esset. Hoc vidit unus ille Hugo Grotius, quem iniquius de Romanarum legum praestantia iudicasse propterea censuerunt nonnulli, quod illustrissimus auctor, qui in ipsum Ius Iustineaneum flores sparsit, germanis iuris patrii fontibus suum vindicaverit honorem. Hoc persuasum fuit Slingelandtio, quo auctore et suasore legum ferendarum operam suscepere Hollandiae Ordines. A Supremo Concilio et Curia Hollandiae ac Zelandiae petitum, ut ipsis de capitibus, quibus medela adferenda videretur, prudenti succurrerent auxilio. Rem novistis, AA.! quippe antea vobis luculenter expositam. Incerti rationis quam in iuris communis principiis eruendis sequerentur, dissentiebant. Dissensus negotium omne distulit.

Postremo contendi *incertam viam ICtis monstratam* in iure explicando et ad privata civium negotia componendo. Scilicet hi quum tantum non omnia statuta patria in locis ipsa lege non definitis iudicem ablegare viderent ad iura *communia*, *optima*, *caesarea*, *rationem*, *aequitatem*, *consuetudinem*, *praxin*, velut septemplicis clypei domini, ubique defectum sibi animadvertere videbantur atque in Pandectarum et Codicis libros ruere solebant, ut disiecta Romanae Themidos membra ut pannum purpureum patriis adsuerent legibus. Neque eas tantum sequendas existimarunt regulas, quae, ab ipsis ICtis Romanis expositae, genuinam Iuris naturam egregie declarant, sed ad ineptas pragmaticorum decisiones ita delabebantur ut sententiae partem aliquam, quae in occurrentem fortuito casum quadrare videretur, nullo plane iudicio ex responsi reive iudicatae contextu avellerent, suique consilii rationibus turpiter apponerent.

Quam civitatis labem nonnulli probe cernentes, indignatione commoti eo progressi sunt audaciae atque iniustitiae, ut universam hanc calamitatem uni tribuerint Iuri Romano. Quasi vero egregio artis subsidio hoc in vitium verti debuerit, quod ipso uti nescirent homunciones, nec disciplinam ex ipsis fontibus neque artem ex perenni sapientiae flumine haurire docti.

Alii contra ICti, perversam hanc Iuris enucleandi exponendique rationem respicientes, cautelam adhibendam esse iudicarunt, et tunc demum ad Ius Romanum confugiendum esse arbitrabantur, si neque in iure Canonico satis esset iudicibus auxilii. Quos in multis graviores etiam nostro iuri adfricuisse errores, quis est qui non videat?

Aliorum tandem haec fuit sententia, in iis Iuris capitibus, quae nobis propria erant et nativa, e vicinorum legibus explicationem esse quaerendam, propter finitimarum consuetudinum affinitatem, eosdemque mores, quos diversi in regione eadem tractus sibi communes habere videantur. Quae quidem opinio etiamsi nonnumquam doctores ad rectam statutorum localium duxerit interpretationem, horum tamen sapientiam nequaquam demonstrat, quandoquidem non locorum situs et geographica terrarum descriptio iuris regulam constituat, verum multo magis germana legum principia ex genuinis ipsius fontibus sint eruenda. Summi hoc momenti videri possit in iis tractuum legibus explicandis, quae sincerius antiqui iuris indolem servaverint, Drenthinis, Transisalanicis, Gelricis, et accuratam historiae cognitionem in ICto, statutorum sententiam explicante, omnino disiderarint. Exemplumne requiritis? Vel unum illud proferam notissimum in Iure veteri Germanico pactum, quod ex more vetusto dicitur unio prolium. Ante saeculi decimi septimi initium nullum huius pacti in consuetudinibus nostris scripto mandatis exstat vestigium. Sed ecce, cum mores Gelricos vetustos in tetrarchia Ruremundana, decimo nono eius saeculi anno, describendas esse constituisset Summus regionis Imperans, institutum illud antiquitatis simplicissimae imaginem referens ita delineavit legislator, ut maximam eius in vita incolarum civili ordinanda efficaciam accurata perspicere nobis liceat. Et decennio vix elapso nova circa hoc placitum praecepta constituerunt Ordines Drenthini, causa diserte addita, quod cives in illo concipiendo non satis se conformare solerent ad *iuris* regulas. Quaesitum fuit, ad quodnam hic ius provocaverit legislator? Nonne miremur AA.! multorum ineptiam, qui ad eiusmodi institutum vere patrium Romanorum circa adoptiones praecepta traxerint? Nonne eorum similiter vituperemus sententiam, qui, quum in vicinarum regionum statutis nihil inveniretur, quod hunc iuris Drenthini locum illustraret, Ordines ad solam aequitatem provocasse arbitrarentur, in hoc praesertim argumento, ubi legitimae memorantur cautelae? Nonne agnoscendum est novo edicto nihil fuisse opus, dummodo historicum iuris cursum veramque instituti indolem probe adtendissent ac perspexissent ICti? Quid de ceteris pronuntiandum regionibus? Ubi de prolium unione pactum ad superioris usque saeculi finem haud incognitum fuisse, nunc sane res est in vulgus nota, post

gravissimas de ipso agitatas in Brabantia nostra lites. Quid de aliis bene multis addam Iuris Patrii capitibus, quae luculentius in foris nostris essent interpretati ICti, dummodo quodlibet ius ex suis propriis ac domesticis explicandum esse principiis probe animadvertissent? Quid de statutaria bonorum communione sive universali sive singulari, de iis imprimis bonis, quae aut in illam caderent vel ex illa eximenda forent? Quid de sponsalibus tam publicis quam privatis, de tabulis nuptialibus, de mariti iure in sustinenda uxoris persona in fori negotiis, de viduarum privilegiis, de iure tutelari, de mobilibus sequelam non habentibus, de iure praecipui, et succedendi ordine? In quibus regundis saepissime ita versati sunt legislatores, ut magis rem indicare, quam locum describere videantur: in quibus explicandis adeo in diversas partes abire solebant ICti, ut hi adscititia iura cum patriis in concordiam redigere se posse putarent, alii se nostrorum institutorum fundamenta perquisivisse crederent, Chassanaeo, Mynsingero aut Mevio teste producto. Non defuisse quidem fateor paucos erectioris ingenii viros, qui alacriori animo veteres Patriae codices eruendos sibi sumere haud dedignarentur: hos vero magis antiquitatis pernoscendae studio flagrasse quam iuris suo tempore vigentis, haud immerito statuere mihi videor.

Quotus autem quisque hoc verae iurisprudentiae principium ac fontem esse agnovit, recentiora ex antiquis illustrare: vetusti instituti causas ac rationes ex propria saeculi indole indagare: quantum etiam ab eo deinceps discessum sit, exquirere: quid in vicinis regionibus obtineat explorare: discrepantiae originem scrutari?

Quale tandem, AA. et quantum ex neglecta hac praeclara studii instituendi ratione detrimentum passa sit ipsa iuris disciplina ex iis, quae huc usque adtulimus, liquido vobis erit compertum. Quibus summa certe superioris saeculi media iam parte elapsa haec accessit calamitas, quod in Academica iuventutis institutione scholarum exarserit dissidium, neque ut sectarum studio vacarent discipuli satis caverint Antecessores. Floruit inprimis in hac ipsa illustri Musarum sede celebris Iuris Romani schola, cuius auctores et duces clarissimos, Gerardum Noodtium et Antonium Schultingium hoc inprimis nomine laudavit grata posteritas, quod iurisprudentiam docuerint „non ceu imbrem eodem impetu de coelo delapsum aut

veluti fungum e terra proxima nocte natum," sed firmissimis probaverint argumentis, „eam potiore sua parte non in ratiociniis vel de bono et aequo disquisitionibus ac meditationibus, verum in historica eorum, quae publice sancita vel etiam interpretando inducta sunt, cognitione consistere." Quorum vestigiis ita instituerunt alii bene multi ICti, quibus iuris docendi provincia mandata fuit, ut merito nostrates historicae quae dicitur ICtorum apud Germanos scholae viam munivisse dicendi sint!

Utinam eandem regiam viam ingressi essent illi, qui Iura nobis propria explanare tentarunt! Quod in Iure Publico indagando ita instituerunt Kluitius ac Pestelius (cara nobis nomina!) ut cum illorum doctrinae fructibus si maturitatem ac suavitatem spectes nihil omnino comparari possit. At in Privato Iure illustrando a praeclarissimis hisce exemplis toto coelo aberrarunt non pauci, qui domestica prae peregrinis investiganda putantes, dum legum ac consuetudinum in patria vigentium genuinam mentem sedulo perquirerent, discipulorum simul animis id imprimis inculcandum existimarunt, ne in interpretandis Iuris subsidiis ullum quaererent Romanae sapientiae auxilium: palam declarantes, deficientibus nostrae civitatis legibus, minime confugiendum esse ad peregrinas leges alienae civitati proprias sed ad Ius Naturale externum, sive, quod idem dixerunt, ad ius omnibus civitatibus commune. Neque est ut vobis AA.! in memoriam revocem sagacissimum caeteroquin nostrae artis doctorem, quem, nimio forte mentis ardore se abripi passum, inverecundam dixisse novimus orationem eorum, „qui Iuris cultoribus animis insinuare satagunt, leges reipublicae nostrae proprias, concinna brevitate, sed tamen argumenti ubertate conspicuas, nulla interpretatione indigere, sed usu et tempore facile addisci, dummodo peregrina ista iura Romana multo labore exhauserimus, quasi ius patrium nostrum antiquum, quod dudum obtinuit antequam vel fama Iuris Romani ad nos pervenerit, ex hoc iure peregrino postea demum infelici rerum vicissitudine in foris nostris usitato rite explicari queat:" qui, nullum agnoscens Iuris explicandi et amplificandi auxilium praeter unum Ius Naturale, Augeae quasi stabulum, tot litium sordibus refertum, sibi repurgandum sumsit, Hydram Eristicam debellaturus. En bellum indictum, litesque literariae sine iudice frequentes, non palmariis tantum doctorum scriptis, verum et tironum dissertationibus agitatae. Hi Romani

Iuris auctoritatem tueri, praestantiam veris magis quam novis argumentis defendere, nostrorum statutorum inopiam contemnere, eorum interpretationem restringere ac limitare docuerunt: illi Corporis Iuris divitias spernere, et Iuris quoddam patrii communis aedificium condere, non tamen suis propriis superstructum fundamentis, verum Iuris Naturae aedibus ita connexum, ut templum spectans tugurium facile praetervideres. Dissidiorum historiam non persequar latius: hunc tamen ex iis percepimus fructum, praestantissimos paucos ICtos et duplicem cognovisse scopulum, et subinde viam indicasse, ne iis impingant futuri Iuris cultores prudentiaeque civilis custodes.

At multorum saeculorum errores profligare res fuit multis ardua, negligentiae damna suâ reparare fortitudine nemini contigit neque in posterum continget unquam. Periit foedus Provinciarum antiquum; surrexit Respublica Batava: diversisque statutorum voluminibus unus substituendus videbatur Iuris Patrii Codex. Adsunt in praeclarissima hac concione, qui audivere canere classicum et animos videre ardentes: tollenda omnis legum varietas, unumque omnes libertatis socios iungat ius perpetuum, iis inhaerens principiis, quae vere Belgica sunt dicenda. Re ad finem nondum perducta, civitatis iterum mutatur conditio: Regia Ludovico traditur corona. Codex Napoleonticus ad nostros usus conformatur. Operis utilitatem pariter atque opportunitatem celebrarunt aequales, eiusque laudibus nil detraho: hoc unum rogo, utrum incerta pristini iuris nostri conditio, an novi praestantia laudatores excitasse dicenda sit?

Propriis hodie utimur Codicibus, quibus multa, quae patrum auctoritate ac more maiorum erant probata, iterum apud nostrates recepta sunt eorumque auctoritas recte restituta. Nec tamen defuere, qui genuinam magis ac sinceram desiderarent in Patria lege domesticorum institutorum imaginem vimque nativam. Caveamus vero ne illi praestantissimi viri, quibus difficillimum perficiendum fuit negotium, neglecti diu historici Iuris patrii studii culpam immerito sustineant. Discamus iustitiam moniti, auresque crebro personet vox summi viri, qui laboris Codicum condendorum pars magna fuit, dicentis, in emendandae Academicae institutionis opera, hoc urgendum, hoc providendum esse, ut futuris nostris ICtis Antiquum Ius Patrium penitus innotescat!

Ad alteram transeo officii partem, ex legis Academici praescripto, ad brevem enarrationem eorum, quae Universitati et laeta et tristia acciderunt.

Incipiendum, eheu, a communi patriae calamitate. Omnes adhuc moesti meminimus, quum mense Iunio tristissimus nuntius afferretur Regis filium natu minorem, Mauritium Principem, dira morte tenera aetate Parentibus ereptum. Nemo profecto in universo Neerlandiae regno bonus exstitit civis, quin gravissimam luxerit cladem Regiae domui inflictam. Vos vero, Viri Clarissimi, qui ante hos duodecim annos hoc ipso in loco oratorem audivistis eleganter dicentem de honorifica ac pia necessitudine, quae semper Academiae nostrae cum gente Arausiaca intercessit, vos sane penitus sensistis, quanta nobis esset causa moeroris. Triumviros ad Regem misit Senatus, qui ipsi communem omnium significarent luctum. Quos comiter excepit Rex, honorificis simul verbis professus quanta saepe animi voluptate illud recolat tempus, quo huius Academiae civis doctrinarum studio incumberet, atque hoc se sperare, fore ut Summo annuente Numine filio iam unico eadem haec aliquando apud nos contingat institutio.

Ex amplissimo Curatorum collegio neminem morte amisimus. Quod impense laetamur, quandoquidem nobis persuasum sit, gravissimos Proceres rei Academicae eâ consulere prudentia eoque studio, ut nihil prorsus sit, quod desiderari queat. Faxit D. O. M., ut et in posterum cuncta vobis, Viri Perillustres, prospera eveniant, neque unquam haec nostra Academia Curatoribus careat, qui vestram in disciplinis egregie tuendis constantiam imitentur.

Neque quisquam deest e Professorum ordine. Quam ego felicitatem eo magis praedicandam esse arbitror, cum nulla iam sit facultas, quae non seniorem salutet, provectae aetatis causa rude donatum. Tydemannum, Hengelium, Reinwardtium, Siegenbeekium, Mahnium, Macquelynium, et in vivis esse et quae sunt bona senectutis, iis perfrui gaudemus. Vobis, Viri Clarissimi, hunc vestrum gratulor corporis vigorem, atque id inprimis optamus, ut saepius hoc solemni die recurrente nova sit gratulandi occasio.

Non tamen desunt e nostro numero, quibus gravissimus hoc anno exstitit moeror: alius uxorem optimam, alius filiam carissimam, socerum alius praeclarum, alius sororem dilectissimam, est qui neptem luget dulcissimam, felici vix matrimonio collegae iuveni iunctam. Cara vobiscum lugemus capita, nec solatium afferre possumus homines, qui hodie sumus,

crastino forte die abimus, quibusque in negotiosa hac vitae palaestra illud unice sequendum est, ne, ubi discesserimus, frustra vixisse dicamur.

Sed privata mitto: ad publica redeo. Nemo prior menti obversari potest quam tu, Hengeli, venerande senex, patris quondam mei familiaris, Universitatis nostrae decus, Ecclesiae Christianae Antistes celeberrime! Quid tibi debeant multi, a te non solum doctrina imbuti sed ad veram Christi cognitionem atque amorem ducti, equidem eloqui non possum, etiamsi coram praesentem laudare non vererer. At professi sunt palam tui discipuli, per varias patriae regiones dispersi, qui a te discere nunquam desinunt, sive disciplinam recolant Academicam ac domesticam institutionem, sive libros tuos legant recondita sapientia refertos. Professi sunt palam, et festi diei memoriam perpetuo servabit argento perfectum atque asperum signis poculum!

Eidem aliisque plurimis collegis lubens gratularer de scriptis bene multis hoc anno editis atque orbi erudito acceptis, nisi vetaret mea in exponendis huius generis meritis imperitia. Nihil ergo de Diogene Cobetiano: nihil de Scholtenii opere Ecclesiae Reformatae principia illustrante, cuius binas eodem anno editiones elicuit legentium ardor: nihil de Hoeveni et Kaiseri scriptis omnibus notis: nihil de praeclaris lucubrationum fructibus a Verdamo aliisque publici iuris factis. Silentio tamen praeterire nefas Kistii Symbolas de nostrae Academiae primitiis et futuro vigore, quas nobis obtulit vir clarissimus, quum mense Iunio quinquagesimum quintum ab Academia condita lustrum nobiscum celebrarent et veterani et tirones, et milleni alii cuiuscumque aetatis, sexus, ordinis, undique advecti et a civibus laete excepti. Nulla unquam dies festorum illorum delebit memoriam, quae quantopere ornaverint commilitones nostri, mox breviter indicabo: tibi vero, Vir optime, sinceras agimus gratias pro elegantissimo munere, omnibus Universitatis nostrae gloriae bene cupientibus perquam probato.

Neque illud reticere sinit huius diei opportunitas; quadrantem illo saeculi claudi, a quo Tu, clarissime Cock, Antecessoris provinciam regundam suscipiebas, Iuris Publici Universalis studium erudite et eloquenter commendans. Macte, collega honoratissime, prospera hac tua fortuna! faxit Deus Omnipotens, ut per multos annos Academiam ornare pergas iuventutisque commodis prospicere diu tibi contingat!

Duo novi salutandi sunt Professores, in nostrum ordinem hoc anno recepti. Thorbeckii sedem vacuam te occupasse, amicissime Vissering, admodum gaudeo. Diu enim ante honorificum munus tibi oblatum totus eras in illo studiorum genere, cui excolendo nunc summa cum animi voluptate vitam impendis viresque dicas. Collegis pariter ac discipulis te humanitate et benevolentia devinxisti, illi te amant, hi te suspiciunt. Felix tibi sit arduum iter: nos vero perpetuum iunget amicitiae vinculum.

Nec minori applausu ab omnibus, quibus disciplinae curae cordique sunt, exceptum fuit Regis Augustissimi decretum, qua tibi, clarissime Dozy, historiae tradendae provincia fuit mandata. Tu praeclaris tuis scriptis Orientalium et litteras et mores et historiam ita nova illustrasti luce, ut iam tuae doctrinae fama neutiquam angustis patriae finibus contineatur, sed a te nihil exspectet orbis eruditus, nisi consummatum quid ac perpolitum. Qua vero ratione hanc doctrinae laudem in universo historiae campo late patente optime tueri queas, te non latet, accuratissimum et ingeniosum humanitatis sensim provectae indagatorem.

De Academiae instrumento non est, quod multa dicam. Pleraque eius subsidia ita sunt comparata ut usui, cui destinata sunt, satis commode inservire videantur. Inter quae sane principem locum obtinet locupletissima Bibliotheca, quae voluminum copia, tum donatorum, tum coemtorum quotidie crescit: nec minus crescere audimus eorum numerum, qui eam sedulo frequentent. Desideratur adhuc Index MSS., quae post catalogi supplementum superiori saeculo editum accesserunt: cui defectui ut brevi suppleatur summo iam studio operam impendunt clarissimi viri Geelius ac Dozy: quorum ille Codicum Graecorum ac Latinorum, hic MSS. Orientalium descriptionem mox est editurus.

Nummophylacium quoque mirifice ditatum esse et pretiosis et rarissimis incrementis, mecum communicavit praefectus, qui pro sua diligentia haec latius de more describet et in publicam convertet utilitatem.

Quid de aliis referam, quae ad Anatomen, Physicam, Chemiam, Botanicen, Agriculturam, Astronomiam pertinent? Pulcra haec omnia, non tantum ex maiorum liberalitate, sed et eorum ope atque assidua industria, qui iis sic utuntur ut alios uti doceant. Nihilne ergo expetendum superest? Hoc si quis affirmaverit, causam defenderit nemini probandam: licet non

pauci nos, qui illo fruimur instrumento, in subsidiis petendis paullo acriores existiment neque hac in re prorsus dissimiles Romanis istis Senecae aequalibus, apud quos nemo agebat de tribunatu gratias, sed querebatur continuo, quod non erat usque ad praeturam perductus. At hi sibi, nos patriae vindicamus dignitatem!

Nec satis fuit nobis, feliciter nostris uti doctrinae praesidiis; aliis quoque de rebus suis luculenter amplificatis gratulati sumus sincere. Scilicet Academiae Groninganae aedificia dudum ita erant comparata, ut Philipsius, vir clarissimus, meusque praeceptor nunquam non colendus, ante hos quatuordecim annos Rectoris munus deponens, de illorum conditione graviter conquestus sit, votaque iure merito fecerit, ut Musis ibi de integro conderetur sacrarium, si non columnarum substructionumve magnificentia, decoro saltem habitu se commendans. Ecce, ipso hoc viro summo iterum Rectore, novum consecratur Minervae templum, idque non humile aut ignobile, sed revera columnis subnixum atque ita instructum, ut civitatis liberalitas in opere perficiendo splendeat! En festa parata, coetus convocati, concilia sodalium congregata, hospites invitati. Ex senatus decreto solennibus hisce interfuerunt viri clarissimi Ianus van der Hoeven et Krieger, quibus tunc quoque arctissimum apparuit vinculum, quod omnes Patriae Academias jungit copulatque. Equidem vero et hac opportunitate illustri Universitati, cui duplici adstrictus sum nomine, publice bona ac fausta quaeque voveo, apprecor!

Iam de vobis et ad vos dicendum, iuvenes lectissimi, commilitones carissimi! Unus vestrum hoc anno in vivis esse desiit, ornatissimus Peskens, Medicinae candidatus; tabe confectus penultimo mensis Februarii die occidit, parentibus, praeceptoribus, amicis triste sui desiderium relinquens. Multi alii Universitati valedixerunt, doctorali lauro cincti studiisve Academicis ad finem perductis. Inter quos haud paucos esse scitis, qui tantam consecuti sunt doctrinae laudem, ut summis viris eorum placuerit in conscribendis dissertationibus industria. Tantus vero accessit civium numerus, ut hoc quoque nomine haec bonarum artium sedes pristinam vigoris gloriam egregie tueri dicenda sit. Sed numerum non miror et utinam rivi claudantur! Studiorum alacritatem, vitae modestiam, morum probitatem atque elegantiam specto. Quid hac ex parte valeatis, ingens vidit civium

Gelukkig, wien het te beurt mag vallen, haar eene schrede verder te brengen! Gelukkig ook, wien *hare* beoefening de bestemming zijns levens, het doel van al zijn denken en arbeiden is! Van nu voortaan zal het mijne bestemming zijn. Ik verbind mij op dezen plegtigen oogenblik, aan die taak al mijne krachten, al mijn willen te zullen wijden. Ik verklaar hier openlijk, dat ik dat wil. Daartoe schenke mij de Almagtige God Zijnen zegen, zonder welken alle arbeid van menschen ijdel is. Amen!

EDEL-GROOT-ACHTBARE HEEREN CURATOREN DEZER HOOGESCHOOL! Moeijelijk valt het mij, woorden te vinden, om U den dank te betuigen, die mij den boezem vervult. Gij hebt mij den werkkring aangewezen, die de lust mijns levens is, en het mij ten *pligt* gesteld, die wetenschap te beoefenen, tot welke ik mij reeds lang en zoo sterk — haast in strijd met vroegere pligten — voelde aangetrokken. Ge hebt mij verbonden aan deze doorluchtige Hoogeschool, dit brandpunt van kennis, om er mij zelven te beter te kunnen oefenen, terwijl ik anderen voorbereide. Ge

hebt mij niet onwaardig geoordeeld de schoonste en verhevenste betrekking, zulk eene, waarop niemand, zelfs in stilte en voor zich, hoop zou durven koesteren. Mag ik niet trotsch zijn op de hooge onderscheiding, die mij daarin van mannen als gij te beurt valt? Zou ik U niet dankbaar zijn voor eene levensbestemming, die mijn geluk is? — Woorden vervliegen snel. Eene lange reeks van welgerangschikte betuigingen zou U evenmin welkom zijn, als zij mij van de lippen wil. Maar wilt deze verzekering aannemen, als de uitdrukking mijner erkentelijkheid tevens. Ik beloof U, dat al mijn trachten zal zijn, uwe verwachting niet te leur te stellen. En als eenmaal de loopbaan zal zijn voleindigd, die mij heden wordt opengesteld, wat oordeel men dan ook over mijnen arbeid en de vruchten van mijnen arbeid zal vellen, deze lofspraak zal mij toekomen: Hij heeft als eerlijk man getracht zijnen pligt te volbrengen.

Hooggeleerde Heeren, waarde Ambtgenooten! Gij zult mij gelooven, wanneer ik zeg, met schroom U aldus te begroeten. Naauwelijks acht jaren is het geleden, dat ik als dankbaar leerling van U afscheid nam. Weinigen zijn er onder U, die mij niet in leeftijd en ervaring verre vooruit zijn; velen tel ik onder U tot wie ik, heden niet minder dan toen, met diepen eerbied opzie. En ik zal nu onder U verkeeren als gelijke onder zijne gelijken! Ik zal met U werkzaam zijn in éénen kring! Maakt mij, bidde ik U, mijne plaats in uw midden gemakkelijk en aangenaam. Wilt mij den afstand doen vergeten, die U van mij scheidt. — Maar wat vraag ik nog? De welwillendheid, waarmede gij mij reeds zijt te gemoet gekomen, is mij een waarborg, dat gij mij uwe vriendschap wilt schenken. — Gij, Hooggeleerde de Wal, hebt mij reeds dadelijk door zoo veel heuschheid aan U verpligt, dat ik mij nu reeds overtuigd houde, dat wij voor elkander niet alleen trouwe helpers in den arbeid, maar ook trouwe vrienden zullen zijn. Diezelfde hulp en gelijke vriendschap durf ik van U verwachten, Hooggeleerde van Assen en Cock en van U eerwaardige grijsaard, Hooggel. Tydeman, wanneer ik herdenk de toegenegenheid, waarmede ge mij vroeger begunstigd hebt. Zoo zij dan onze gemeenschappelijke arbeid vruchtbaar voor den bloei van deze onze Universiteit. Waarin ook mijne minderheid tegenover U zal blijken,

in den wedijver, om daarnaar te jagen, voel ik de kracht in mij om U op zijde te streven!

Lieve Vader, wiens tegenwoordigheid mij dezen feestdag zoo onuitsprekelijk gelukkig maakt, ook tot U wil ik een woord rigten. Gij hebt mij opgevoed in de vreeze des Heeren. Alle zorgen, alle inspanning, alle opoffering hebt gij gering geacht om uwen zoon tot een nuttig lid der maatschappij te vormen. Gij hebt niet opgehouden mij met raad en hulp en waarschuwing en aansporing ter zijde te staan. Mijne vreugde en mijnen kommer hebt gij gedeeld, en getrouw den strijd des levens met mij gestreden. Dagelijks heb ik U daarvoor in mijn hart gedankt; menigmalen heb ik het in oogenblikken van vertrouwelijke ontboezeming uitgesproken. Nu is het mij behoefte en zaligheid, in het openbaar te erkennen: wat ik ben, ben ik door uwe liefde. Daar dringt zich voor mijne oogen de dag, waarop ik voor het eerst het ouderlijke huis verliet, om aan deze zelfde plaats kennis te vergaderen. Uw laatste woord was, terwijl tranen U langs de wangen vloeiden: „God zegene u, mijn zoon!" Zie, uwe bede is verhoord. De goede God heeft mij overvloedig gezegend, maar het meest in U. Moge dit uur U eenige vergoeding geven voor hetgeen gij mij gedaan hebt. Gij, wees mij nabij gelijk ge mij tot heden nabij waart. Meer dan ooit gevoel ik behoefte aan uwen steun, opdat ik niet onwaardig bevonden worde de heerlijke roeping die mij is toebedeeld!

Edele Jongelingen, Kweekelingen der Leidsche Hoogeschool! Het harte slaat mij hoog, nu ik tot U spreke. Tot Uwe vorming mede te werken, — welk eene roeping! maar ook welk eene verantwoordelijkheid. Gij bereidt U voor, om eenmaal de edelste betrekkingen in de maatschappij, welligt de hoogste waardigheden in den staat te bekleeden: en ik zal U daarbij te hulpe zijn en voorlichten. In U ligt de toekomst des vaderlands. O, dat noch gij noch ik dit immer vergeten. Laat U deze gedachte onophoudelijk een prikkel zijn, om met ernstigen wil te arbeiden aan uwe eigene ontwikkeling, bedenkende, dat in den schoonen bloeitijd des levens de vrucht zich zetten moet. Wat mij betreft, ook aan U, neen, aan U het meest heb ik in deze ure mijn willen en mijn werken gewijd.

Wel is het mij bewust, dat ik niet voor U zijn kan, wat de groote man voor U was, aan wiens lippen gij hingt, en dien gij verloren hebt, omdat zijne uitstekende bekwaamheden hem riepen, om zich in nog moeijelijker werkkring aan het heil des vaderlands toe te wijden. Wel belijde ik: hoe meer de gedachte mij fier maakt, dat ik geroepen ben, en mede door Hém geroepen, om zijne plaats in uw midden te vervullen, te meer ook drukt mij de vrees, hoe het mij gelukken zal, Hem te vervangen. Maar heb ik er geene aanspraak op, dat ik tot U spreke met de woorden des gezaghebbenden meesters, dezen wensch (die trouwens reeds natuurlijk is aan mijnen leeftijd, schier aan den uwen gelijk) mag ik koesteren en uiten, dat ik, als een vriend met zijne vrienden, met U zal verkeeren. Mag ik niet de hoop voeden, dat het mij gelukken zal, eene school te vormen gelijk hij deed, ik wil toch streven eenen vriendenkring om mij heen te vergaderen, die uit welwillendheid gehoor geeft, waar gezag niet tot luisteren verpligt. Zoo zullen wij dan te zamen arbeiden: te zamen en met gelijke schreden voorwaarts streven, op dezelfde baan ons allen geopend: ontwikkeling van ons zelven; bevordering der wetenschap; vermeerdering van den roem dezer Akademie, en van den bloei des lieven Vaderlands!

IK HEB GEZEGD.

SERIES LECTIONUM

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM POST FERIAS AESTIVAS ANNI 1850.

FACULTAS JURIDICA.

J. de Wal explicabit Encyclopaediam et Methodologiam Juris, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . horâ XII.
Historiam Juris Romani enarrabit, iisdem diebus . . . . . . I.
Origines ac Progressus Juris apud Gentes Germanicas, inprimis Juris Patrii Historiam illustrabit, iisdem diebus . VIII.
Jus Mercatorium exponet, die Jovis . . . . XII.
et die Veneris . . . . XI et XII.

H. G. Tydeman Emeritatum nactus et cessans a praelectionibus, non tamen cessabit in studiorum suorum fructu lubenter communicando.

C. J. van Assen interpretabitur libros Digestorum diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . IX.
Institutiones Juris Civilis Romani, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . X.
Gaji Commentarios Institutionum, cum selectis Ciceronis Orationum locis, ad jus civile Romanum pertinentibus, diebus Jovis et Veneris . . . . XI.
Jus Civile Hodiernum, diebus Lunae, Martis et Mercurii . XI.
Ordinem judiciorum et rem judiciariam privatam, die Jovis IX—XI.
et die Veneris cum exercitationibus forensibus . . . . . X.

H. Cock tradet Jus Publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . IX.
Jus Criminale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . X.
et die Jovis . . . . XI.

Jus Naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . . horâ XI.
Ordinem Judiciorum Criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.

S. Vissering Statisticam patriae explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . I.
Historiam Europae diplomaticam, iisdem diebus . . . . . . II.
Oeconomiam politicam, die Jovis . . . . I et II.
et die Veneris . . . . I.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. van Hengel, provectae aetatis causa rude donatus, quantum per vires licebit, Academiae alumnis prodesse conabitur.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris . VI sqq.

N. C. Kist Historiam Ecclesiasticam docebit inprimis antiquam, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Christianae Morum Disciplinae partem exponet historicam et theoreticam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . XI.
Doctrinae et Dogmatum Christianorum Historiam tradet, diebus Jovis et Veneris . . . . XII.
Historiae Ecclesiasticae Veteris monumenta exponet, die Martis XI.
Exercitia disputandi moderabitur, die Saturni . . . . II.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . II.

J. F. van Oordt, J. G. Fil., Theologiam Christianam theoreticam tractabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . IX.
Euangelii Johannis quinque ultima capita et primam Ejusdem Epistolam, diebus Lunae et Mercurii . . . . X.
Encyclopaediam Theologicam exponet, diebus Martis et Jovis X.
Institutionem Oratoris tradet, die Mercurii . . . . I.
et Veneris . . . . , ... X.

J. H. Scholten Dicta et Sermones Jesu Christi in Euangelio Johannis interpretabitur, diebus Martis et Jovis . . . . XI.
et die Mercurii . . . . I.

Theologiae naturalis sive philosophiae de Deo historiam enarrabit, diebus Jovis et Veneris . . . . horâ I.

Verba characteristica et locutiones, quibus religionis Christianae indoles exprimitur, explicabit dieb. Lunae et Martis I.

Orationibus Sacris praeërit, die Mercurii . . . . II.

Publice disputandi exercitationibus praeërunt alternis hebdomadibus, die Saturni horâ I, alternatim J. F. VAN OORDT, J. G. FIL. et J. H. SCHOLTEN.

***Vacanti quartae in Theologica Facultate cathedrae ubi prospectum erit, ad valvas Academiae indicabitur, cuinam professio sit delata et quas novus Professor scholas habiturus sit.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

C. G. C. REINWARDT Civium academicorum studia, quantum aetas et vires sinent, juvare paratus est.

J. VAN DER HOEVEN Zoologiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XI.

Anatomen comparatam tradet, diebus Martis et Jovis . . . I.

Vernaculo sermone et publice primas lineas Zoologiae exponet, die Mercurii . . . . II.

Mineralogiae et Geologiae elementa si qui sint, qui audire cupiant, docere paratus est.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . . IX.

Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus XI.

Artem pharmaceuticam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii . . . . XII.

Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Jovis . . . . XII.

Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.

Cum studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris horâ vespertinâ . . . . V—VIII.

G. J. VERDAM Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Jovis . . . . horâ X.
et die Veneris . . . . IX et X.

Stereometriam et Trigonometriam sphaericam, hujusque usum, docebit, diebus Jovis et Veneris . . . . VIII.

Lectiones de Calculo Differentiali et Integrali continuare et Mechanices analyticae principia exponere velit; dies autem et horas postea indicabit.

Scholas praedagogicas explicabit, die Lunae . . . . XI.

F. KAISER Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . IX.

Astronomiam practicam, iisdem diebus . . . . X.

Astronomiam, quam popularem vocant, tradet diebus Lunae et Mercurii, horâ vespertinâ . . . . V.

Post ferias paschales autem hora quadam matutina, auditoribus commoda.

Theoriam motus corporum coelestium et disquisitiones selectas, de perturbationibus, quas motus corporum coelestium patiuntur, aptis horis commentabitur.

Singulos suos auditores, ad coelum, tubi optici ope, perlustrandum, aptis temporibus evocabit.

Arithmeticam universalem sive Algebram tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . II.

G. H. DE VRIESE Phytographiae fundamenta tradet antumnali tempore, singulis diebus . . . . I.

Plantarum indigenarum et medica virtute praeditarum historiam illustrabit verno et aestivo tempore, diebus iisdem VII.

Physiologiam plantaram exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . I.

Selectas demonstrabit familias naturales, iisdem diebus . . II.

Excursionibus botanicis praeërit die Saturni, apta tempestate.

Historiam plantarum medica virtute praeditarum et pharmacognosin regni vegetabilis et animalis duce Pharmacopoea Neerlandica futuris pharmaceutis tradet horis commodis.

P. L. Rijke, Prof. extraord., Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . . horâ XII.
Physicam Mathematicam tradet, diebus Lunae et Veneris . VIII.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

M. Siegenbeek propter aetatem septuagenariam rude donatus, quantum per vires licebit, studiosae juventuti prodesse conabitur.

J. Bake explicabit Ciceronis Orationes, de Provinc. Consul., in Pisonem, et Milonianam, diebus Lunae, Martis et Mercurii IX.
Rerum Atticarum capita selecta de reditibus et expensis publicis, tractabit diebus Lunae et Mercurii . . . . I.
Scholas Paedagogicas moderabuntur J. Bake et C. G. Cobet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . II.

J. M. Schrant Praecepta styli Neêrlandi seu Eloquentiae, nec non Oratoriae artis externae, tradet diebus Jovis, Veneris . . II.
et die Saturni . . . . X.
Historiam Patriae enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii II.
Vondelii tragoediam *Gysbrecht van Amstel* interpretabitur die Saturni . . . . XI—I.
Eloquentiae historiam criticam enarrabit, horis auditoribus commodis.
Antiquitates Germanicas explicabit, horis postea iudicandis.

A. Rutgers Jeremiae Vaticinia inde a Cap. XXX et Psalmos selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis . . . . IX.
et die Mercurii . . . . VIII.
Secundum Samuelis Librum cursoria lectione tractare perget die Martis . . . . I.
et die Jovis . . . . XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XII.
Grammaticam Sanskritam docebit et Anthologiam Sanskritam a Cl. Lasseno editam, explicabit, die Lunae . . . . I—III.
Calidasi Sacuntalam et Hitopadesam explicabit, die Veneris I—III.

T. G. J. JUYNBOLL Sermonis Hebraei elementa tradet, tum Grammaticâ explicandâ, tum analyticis exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis, Mercurii . . . . horâ VIII.
et die Jovis . . . . I.
Literarum Arabicarum, Chaldaicarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), diebus Jovis, Veneris et Saturni . . . . VIII.
Cum provectioribus Librum legere perget Arabicum de expugnatione Memphidis et Alexandriae, ab HAMAKERO editum, die Martis . . . . II.
Chrestomathiam Arabicam KOSEGARTENII, die Veneris . . . X.
Et HAMĀSAE Carmina cum TIBRĪZII Commentario, die Veneris . . . . XII—I.
Coranum, additâ lectione Commentarii Baidhawiani, die Jovis V—VII.
Chrestomathiam Syriacam KIRSCHII a Cl. BERNSTEINIO iterum editam et Carmina EPHRAEMI selecta ex Chrest. A. HAHNII et F. L. SIEFFERTI, die Mercurii . . . . II.

J. H. STUFFKEN Logicam tradet, diebus Jovis et Saturni . . . . IX.
et die Veneris . . . . XI.
Metaphysicam docebit, die Lunae . . . . I.
et die Martis . . . . II.
Historiam Philosophiae explicabit, diebus Lunae et Jovis . II.
Paedagogicam exponet diebus et horis auditoribus commodis.

C. G. COBET interpretabitur HERODOTUM et locos selectos ex optimo quoque scriptore Attico diebus Lunae, Martis et Mercurii . . X.
Antiquitates Romanas tradet iisdem diebus . . . . XII.
Elementa Artis Metricae docebit, diebus Jovis et Veneris . I.
Initia Palaeographiae Graecae provectioribus explicabit, diebus Lunae et Mercurii . . . . I—III.
Disputandi exercitia publica moderabitur, die Jovis . . . . XI.

R. P. A. DOZY, Prof. Extraord., Historiam Guelforum et Gibellinorum enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . XI.
Locos historicos difficiliores et varia historiae literariae capita tractabit diebus Jovis et Veneris . . . . XII.

FACULTAS MEDICA.

M. J. MACQUELYN quantum rerum suarum ratio patietur, juventutis Academicae commodis inservire paratus est.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . horâ I.

Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . XI.

Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Jovis . . . . I.

G. C. B. SURINGAR Therapiam generalem docebit, diebus Martis et Jovis . . . . XII.

et die Saturni . . . . IX.

Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . XII.

Therapeuticum remediorum usum indicabit, diebus Mercurii et Veneris . . . . X.

Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Jovis . . . . X.

Praxin medicam, ad lectulos aegrotantium, moderabitur, diebus singulis . . . . IX.

F. W. KRIEGER Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . VIII.

Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit, diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni . . . XII.

Collegio casuali, diebus Martis et Veneris . . . . XII—III.

Operationes Chirurgicas, tum etiam Vincturarum et Fasciarum doctrinam demonstrabit, tempore opportuno, singulis diebus Saturni . . . . X—XII.

Doctrinam de morbis oculorum exponet, horis dein indicandis.

Medicinam Forensem, die Lunae et Jovis . . . . I.

A. E. SIMON THOMAS, Prof. Extraord., Theoriam Artis Obstetriciae exponet, diebus Martis, Jovis et Saturni . . . . VIII.

Operationibus obstetriciis tum in pelvi factitia, tum in cadavere instituendis, praeërit die Mercurii . . . . I.

Gynaecologiae et gynaecopathologiae capita selecta tradet, horis auditoribus commodis.

Praxin Obstetriciam in Nosocomio Academico, quoties necesse erit, moderabitur.

H. Halbertsma, Just. Fil., Prof. Extraord., Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . horâ X.

Physiologiam observationibus microscopicis illustratam, iisdem diebus . . . . IX.

Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . XI—III.

F. W. Krieger et H. Halbertsma disputandi exercitiis publicis praeërunt die Jovis . . . . III.

P. O. van der Chijs, tituto Prof. Extraord. ornatus, Numismaticam generalem tradet diebus Lunae et Jovis . . . . I.

C. A. X. G. F. Sicherer, Litterarum Germanicarum Lector, Klopstockii Odas interpretabitur, diebus et horis, auditoribus commodis.

C. G. Lokkers, Academicus Artis gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DIE 31 DECEMBRIS 1850.

E FACULTATE JURIDICA.	E FACULTATE THEOLOGICA.	E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUM.	E FACULTATE MEDICA.	CUNCTUS NUMERUS.
177	86	14	25	55	357

Praeterea in album academicum nomina studiosorum in diversis Athenaeis studiis operam navantium relata sunt, eo tantum consilio, ut hic examinentur et Doctores creari possint, quorum:

in Facultate	Juridica	37.
〃 〃	Theologica	24.
〃 〃	Disc. Math. et Phys.	1.
〃 〃	Phil. Theor. et Litt. Hum.	14.
〃 〃	Medica	23.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

A DIE 9 M. FEBRUARII 1850 AD DIEM 8 M. FEBRUARII 1851.

IN FACULTATE JURIDICA.

d. 26 Febr. LUDOVICUS CASPARUS DU RIEU, Lugduno-Batavus, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 1 Mart. FLORENTIUS DANIEL FRANCISCUS DE MEY VAN ALKEMADE, Roterodamensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 16 Mart. HERMANNUS AGATHO DES AMORIE VAN DER HOEVEN, Amstelodamensis, publice defenso Specimine: *de privilegiis jure Neerlandico creditoribus nonnullis in universas res debitoris competentibus*, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 3 Maji. ERNESTUS SCHADE VAN WESTRUM, Schiedamensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

PETRUS HENRICUS JACOBUS VAN DEN SANTHEUVEL, Dordraco-Batavus, defensis Thesibus, J. U. D.

d. 4 Maji. GUILIELMUS JACOBUS ABRAHAMUS BOSCH REITZ, e pago Breukelen, publice defenso Specimine: *de Quaestione an non usu tollatur legum vis*, J. U. D. *cum laude.*

d. 11 Maji. ALEXANDER KRUSEMAN, Amstelodamensis, publice defensa Dissertatione: *de Fidejussione universali*, J. U. D. *cum laude.*

d. 29 Maji. JOHANNES JÄGER, Amstelodamensis, publice defenso Specimine: *de Vinculo Juris inter medicum et aegrotantem*, J. U. D. *cum laude.*

d. 31 Maji. DAVID JACOBUS CORNELIUS VAN LENNEP, Amstelodamensis, publice defenso Specimine: *continente Quaestiones ad legem de exigendis tributis directis latam d. 22 Maji* 1845, J. U. D. *cum laude.*

d. 6 Junii. PETRUS VAN BEMMELEN, Almeloënsis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 7 Junii. BERNARDUS KLESZENAAR, Haganus, defensis Thesibus, J. U. D.

d. 7 Junii. ABRAHAMUS HENRICUS VAN LIMBURG BROUWER, Deilo-Gelrus, publice defenso Specimine: *de Quaestione utrum ad heredes etiam pertineat domicilii electi vis*, J. U. D. *cum laude*.

d. 10 Junii. JOHAN MELCHIOR PRESBURG, Surinamensis, defenso Specimine: *continente Commentarium ad articulum* 134 *Codicis Civilis Neerlandici*, J. U. D. *cum laude*.

d. 21 Junii. JOANNES MARIUS GORDON, Sylva-Ducensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude*.

JANUS VAN EEGHEN, PETRI FILIUS, Amstelodamensis, publice defenso Specimine: *de Juris regula, non bis in idem*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 22 Junii. CAROLUS JOANNES FRANCISCUS MIRANDOLLE, Paramariboensis, publice defenso Specimine: *de potestate judicum nostrorum civilium inter peregrinos jus dicendi*, J. U. D. *magna cum laude*.

GUILIELMUS RAHUSEN, Amstelodamensis, publice defenso Specimine: *de Quaestione an creditores societatis nominatae quae foro cessit prae privatis sociorum creditoribus jus habeant in bona societatis*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 24 Junii. REINHARDUS VAN PALLANDT, ex pago Rosendaal-Gelrus, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude*.

LUDOVICUS HOVY, Amstelodamensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude*.

GEORGIUS HERMANNUS HOFLAND, Passaroeango-Indus, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude*.

d. 25 Junii. PAULUS FRANCISCUS HUBRECHT, Lugduno-Batavus, defenso Specimine: *de Jure Commentitio apud Romanos*, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 28 Junii. JOANNES MATTHEUS JANSEN EYKEN-SLUYTERS, Amstelodamensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude*.

PAULUS THERESIA VAN DER MAESEN DE SOMBREFF, Mosa-Trajectinus, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude*.

HENRICUS ANDREAS NEEB, Lugduno-Batavus, defensis Thesibus, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 29 Junii. GUILIELMUS TERPSTRA, Roterodamensis, defensis Thesibus, J. U. D. *magna cum laude*.

d. 29 Junii. Guilielmus Fredericus Ludovicus Buschkens, ex oppido Samarang, defensis Thesibus, J. U. D.
Carolus Joannes Christianus Henricus van Nispen tot Sevenaer, Leomerico-Gelrus, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 7 Sept. Henricus Allardus Helmich, Zwollensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 23 Sept. Franciscus Henricus Robertus Reinholdus Fagel, Haganus, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 27 Sept. Jacobus Joannes de Reus, ex pago Ridderkerk, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 9 Oct. David Lopes de Leão Laguna, Amstelodamensis, publice defenso Specimine: *de Quaestione an obligatio praestandi alimenta parentibus caeterisque adscendentibus egenis in solidum sit et individua*, J. U. D. *cum laude.*

d. 24 Oct. Didericus Franciscus van Leeuwen, Alcmariensis, defensis Thesibus, J. U. D. *magna cum laude.*

d. 26 Oct. Petrus Samuel Gerlings, Harlemensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*
Petrus Janus Josua Linckers, Lugduno-Batavus, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 11 Nov. Leonardus Petrus van Meerwyk, ex pago Engelen, publice defensa Dissertatione: *de juribus et officiis cauporum*, J. U. D. *cum laude.*

d. 4 Dec. Reinardus Justinus Marinus de Graaff, Haganus, publice defenso Specimine: *de potestate legislatoria Collegiorum Curatorum quibus cura aggerum et aquarum mandata est*, J. U. D. *cum laude.*

d. 9 Dec. Matthias Adolphus van Roggen, Noviomagensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 20 Dec. Abrahamus Rutgerus Blom, Gorinchemensis, defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

d. 18 Jan. Carolus Vosmaer, Haganus, defensis Thesibus, J. U. D.

d. 3 Febr. Wilhelmus Joannes Jacobus Nolet, Schiedamensis, defensis Thesibus, J. U. D.

d. 7 Febr. Henricus Janus Raedt van Oldenbarnevelt, Amstelodamensis, defensis Thesibus, J. U. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

d. 22 Junii. PETRUS RUDOLPHUS ARENTIUS SALTET, Amstelodamensis, publice defensa Disputatione: *continente Annotationem ad Caput VII. Epistolae Pauli ad Romanos*, Theol. D. *cum laude.*

d. 13 Jan. JOHANNES CORNELIUS ZAALBERG, P. FIL., ex pago Nieuw-Beijerland-Hollandus, publice defenso Specimine: *continente Disquisitionis criticae in authentiam prioris Petri epistolae partem priorem*, Theol. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

d. 14 Jan. ISAAC JOANNES VAN LIMBURG BROUWER, Horna-Batavus, defenso Specimine: *continente Observationes nonnullas de rotis dentatis hyperboloidicis et de rotarum dentibus helicoidalibus*, M. M. Ph. N. D. *cum laude.*

d. 6 Febr. GEORGIUS UYLENBROEK, Lugduno-Batavus, defensa Dissertatione: *de phaenomenis physicis quae in ebullientibus liquidis observantur*, M. M. Ph. N. D. *cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

d. 1 Maji. JACOBUS VAN GIGH, Haganus, publice defenso Specimine: *continente tria Capita Juvenalem ejusque scholiastas spectantia*, Ph. Th. M. L. H. D. *magna cum laude.*

d. 29 Junii. JOANNES PETRUS POMPE VAN MEERDERVOORT, Brugensis, defenso Specimine: *continente Annotationes ad orationem quae Ciceronis fertur de Haruspicium responsis*, Ph. Th. M. Lit. H. D. *cum laude.*

d. 1 Julii. ERNESTUS JULIUS KIEHL, Haganus, publice defenso Specimine: *de Prometheo Aeschyli denuo edendo*, Ph. Th. M. Lit. H. D. *magna cum laude.*

d. 12 Dec. Samuel Adrianus Naber, Haganus, publice defenso Specimine: *de Fide Andocidis orationis de Mysteriis*, Ph. Th. M. Lit. H. D. *magna cum laude*.

d. 13 Jan. Abrahamus Daenius, Emdanus, defenso Specimine: *de Insula Delo*, Ph. Th. M. Lit. H. D.

IN FACULTATE MEDICA.

d. 18 Febr. Lucas Jacobus Egeling, Harlemensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 5 Mart. Samuel Senior Coronel, Mos. fil., Amstelodamensis, defenso publice Specimine: *de Somno*, M. D.

d. 23 Mart. Theodorus de Veer, ex insula Curacao, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 8 April. Guilielmus Joannes Knockers van Oosterzee, Roterodamensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 23 April. Theodorus de Veer, ex insula Curacao, M. et A. O. D., defensis Thesibus, Ch. D.

d. 26 April. Solko Tromp, ex pago Woudsend, defensa Dissertatione: *de Chelidonio majori*, M. D.

d. 3 Maji. Petrus van Waas, Alcmariensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 10 Maji. Petrus Joannes Jansen, Schiedamensis, defensa Dissertatione: *de Enchondromate*, M. D. *cum laude*.

d. 17 Maji. Joannes Fredericus Guilielmus Neeb, Lugduno-Batavus, M. et A. O. D., defensis Thesibus, Ch. D.

d. 24 Maji. Johannes Adrianus Boogaard, Roterodamensis, M. D., defensis Thesibus, Ch. D.

Antonius David Führi, Roterodamensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 25 Maji. Gerardus Henricus Saltet, Amstelodamensis, publice defensa Disputatione: *de Tuberculosi glandularum lymphaticarum*, M. D., *cum laude*.

d. 8 Junii. Balduinus Verselewel de Witt Hamer, Goeza-Zeelandus, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 8 Junii. HENRICUS KAPTEYN, Bodegraviensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 24 Junii. DIDERICUS HENRICUS WILDSCHUT REYNDERS, Hornanus, M. et A. O. D., defensis Thesibus, Ch. D.

d. 25 Junii. JOHANNES VAN LEEUWEN, Alcmariensis, M. et A. O. D., defensis Thesibus, Ch. D.

d. 26 Junii. ADRIANUS MARINUS BALLOT, Roterodamensis, defenso Specimine: *continente Quaedam de febre puerperali*, M. D. *cum laude.*

d. 27 Junii. CORNELIUS HAGEDOORN, Amstelodamensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 28 Junii. JACOBUS EWALDUS CORNELIUS VAN CAMPEN, Lugduno-Batavus, publice defensa Dissertatione: *continente duas Observationes de Spermatorrhoea*, M. D. *cum laude.*

d. 29 Junii. ADRIANUS BROERS, ex pago Zeist-Trajectinus, M. D., defensis Thesibus, Ch. D.

d. 25 Sept. JANUS JACOBUS VAN SON, Amstelodamensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 5 Oct. GUILIELMUS HENRICUS YELL, Londinensis, defensa Dissertatione, *continente Quaestiones practicas de arte Obstetricia*, M. D.

d. 7 Oct. GUILIELMUS HENRICUS YELL, Londinensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 8 Oct. JACOBUS EWALDUS CORNELIUS VAN CAMPEN, Lugduno-Batavus, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 21 Nov. HENRICUS PETRUS VAN PRAAG, Oudewaterensis, M. et A. O. D., defensis Thesibus, Ch. D.

d. 4 Dec. LUCAS JACOBUS EGELING, Harlemensis, M. et A. O. D., defensis Thesibus, Ch. D.

d. 7 Dec. GABRIEL PETRUS RYK, Amstelodamensis, publice defensa Dissertatione: *sistente Quaedam de Haemorrhagiis*, M. D. *magna cum laude.*

HERMANNUS GERARDUS HENRICUS GROENEWEGEN, Harlinga-Frisius, publice defenso Specimine: *sistente nonnullas Observationes de usu spermoediae clavi (valgo secale cornutum dicti) in arte Obstetricia*, M. D. *magna cum laude.*

d. 17 Jan. Solko Tromp, J. fil., ex pago Woudsend, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

d. 28 Jan. Janus Samuel Theodorus Moquette, Lugduno-Batavus, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

HONORIS CAUSSA.

d. 14 Oct. Theologiae Doctor creatus est plurimum venerandus Antonius Niermeyer, Verbi Divini minister in pago 's Heer Arendskerke.

ACADEMIA

RHENO-TRAJECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI,

INDE A DIE XXVI M. MARTII A. 1850

USQUE AD DIEM XXVI M. MARTII A. 1851,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

B. J. LINTELO DE GEER.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

H. J. ROYAARDS.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN.
H. J. ROYAARDS.
H. E. VINKE.

IN FACULTATE JURIDICA.

A. C. HOLTIUS.
J. ACKERSDYCK.
G. W. VREEDE.
B. J. LINTELO DE GEER (Extraord.).
J. VAN HALL.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. VAN GOUDOEVER.
J. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD.
L. C. VISSCHER.
S. KARSTEN.
C. G. OPZOOMER (Extraord.).

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN.
J. J. WOLTERBEEK (Emeritus).
J. S. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.
G. J. LONCQ, CORN. JAN, FIL.
F. C. DONDERS (Extraord.).
L. C. VAN GOUDOEVER (Extraord.).

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE.
R. VAN REES.
C. A. BERGSMA.
P. J. I. DE FREMERY (Extraord.).
G. J. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT (Extraord.)

LECTORES.

Antiquarum Litt. G. DORN SEIFFEN.
Linguae Germanicae J. H. HISGEN.
Linguae Anglicae J. VENNING.
Astronomiae A. S. RUEB.

B. J. LINTELO DE GEER,

ORATIO

HABITA

D. 26 M. MARTII 1851,

CUM RECTORIS MUNUS PONERET.

QUI HUIC PROVINCIAE PRAEES, VIR ILLUSTRISSIME!

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

QUI EORUM ES AB ACTIS, VIR CONSULTISSIME!

VARIARUM DOCTRINARUM IN HAC ACADEMIA PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

MUNERUM AUT HONORUM AMPLITUDINE INSIGNES, VIRI GRAVISSIMI!

ARTIUM SCIENTIARUMQUE DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI VENERABILES!

QUI VARIAS DOCTRINAS COLITIS, STUDIOSI JUVENES, COMMILITONES CONJUNCTISSIMI!

OMNES DENIQUE QUOTQUOT AD HANC SOLEMNITATEM CONFLUXERITIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Solet hoc a multis vel maxime inter officia civitatis referri, ut publicae institutionis curam suscipiat, ut non tantum prospiciat securitati, sed etiam civium animos informandos curet ad omne, quod bonum est et pulcrum et justum. Novistis, quid hac de re senserint antiqui! Nullum munus majus meliusve afferri reipublicae potest, ex Ciceronis sententia, quam si doceatur atque erudiatur juventus. Summa hinc apud Graecos institutionis cura, qua maxime civitatium salutem contineri putarunt, ut cives evaderent quam optimi, eaque discerent, quibus civitati deinde ornamento essent et praesidio. Publica erat haec omnium sollicitudo, legum hoc habebant propositum, magistratuum hoc officium.

Apud priscos Romanos secus fuit: suus cuique parens pro magistro aut cui parens non erat, maximus quisque et vetustissimus pro parente. Sufficiebat illa gravitas morumque severitas atque domesticum patris imperium ut morum conservaretur integritas nec a proavorum virtute degenerarent posteri. Jam primum suus cuique filius, ex casta parente natus, in gremio et sinu matris educabatur, juvenis deinde hac domesticâ imbutus disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a parente ad eos, qui principem in civitate locum obtinerent, ut ad eorum exempla suam sibi vitam informaret eorumque aemularetur praestantiam. At vero postea, Auditores,

> Graecia capta ferum victorem cepit et artes
> Intulit agresti Latio. Sic horridus ille
> Defluxit numerus Saturnius et grave virus
> Munditiae pepulerunt.

Tum Romam veniens Crates ille Mallotes, primus coram Romana juventute Graece disseruit fuitque illis exemplo ad imitandum. Frustra Senatus Graecos philosophos et rhetores Româ expulit, frustra Censores novum genus disciplinae sibi non placere edixerunt, frustra antiquam severitatem tueri conati sunt graviores. Graecorum artes et doctrinae juvenum animos nimis infecerant, quam ut iis placere amplius posset priscorum simplicitas. Victos victores jam aemulabantur, horum imitabantur exempla, hos sibi eligebant magistros. Frequentabant jam non tantum doctores, quorum iis copia in urbe contigerat, sed Achaiam quoque et Asiam peragrabant, ut omnem omnium artium varietatem complecterentur. Quotquot ad rempublicam accedere volentes, arte dicendi sibi laudem quaerere optarent, eam a Graecis petebant. Illis qui poësin tractare studerent, suasit Horatius:

> . . . . exemplaria Graeca
> Nocturna versate manu, versate diurna,

omnes ad ea se componebant eaque sequebantur, legebantur a multis quotidie Philosophorum scripta, investigabantur eorum placita. Non mirum profecto, tum auditoria philosophorum et rhetorum scholas in civitatibus Graecis a multis Romanis fuisse frequentatas, qui ibi solidae doctrinae principia quaerebant. Novimus quam multi confluxerint Athenas, ut in medi-

tullio Graeciae Graecam discerent elegantiam et doctrinam, abibant alii Massiliam, quae inter barbaros mores et artes patrias conservarat, Romae quoque scholae exstiterunt, ubi Grammaticorum et rhetorum praecepta audire juvenes poterant et litteras Graecas doceri.

Sic mox per totum orbem Romanum doctrinarum scholae conditae, quas omnes frequentabant aliquam sibi doctrinae laudem quaerentes. Audiebant in illis praeceptores, de sua doctrinâ agentes, exponentes primarios antiquitatis auctores, variis exercitiis eorum excolentes ingenia. Non ego harum scholarum laudes celebrabo, a quibus scio antiquorum nonnullos eloquentiae corruptionem derivasse, sed hoc tamen, quaeso, mihi concedatis, per has scholas deinde antiquitatis cognitionem servatam fuisse et propagatam per provincias, hisque deberi, si non plane interierit apud posteros priorum aemulatio, illas denique perfugium litterarum fuisse et seminarium, cum ingrueret jam undique barbaries.

Bene igitur et laudabiliter fecerunt Romani Imperatores, qui illarum scholarum curam susceperunt curaruntque ut optimi quique in iis docerent, honoribus et stipendiis ornati, et si in multis errarint, hac tamen in re posteris exemplum reliquerunt quod imitarentur, publicae institutionis curam agentes.

De qua re hac opportunitate dicere cum mihi proposuerim, Vos, Auditores humanissimi, ut benigne me audiatis, enixe rogatos volo. Habeat apud vos mea oratio commendationem ab argumento nec ab hoc loco, nec a nostris temporibus alieno. Sentio et probe perspicio, quam multa mihi desint, quam ut de eo ornate dicere possim et copiose, sed quod meae defuerit vel facundiae vel doctrinae vestra, quaeso, suppleat benevolentia, atque potius considerare velitis rerum gravitatem, quam dicentis artem, cum me audiatis: *de laudabili cura, quam Imperatores Romani habuerint institutionis publicae juventutis.*

Antequam vero eo progredior, de illis grammatices et rhetorices studiis dicendum, quas in scholis Romani juvenes solebant tractare. Et certe, Auditores, aliter illi ac nos grammaticam accipiebant; Varronem testem audite: grammatica est, inquit, scientia eorum, quae a poëtis, historicis, oratoribusque dicuntur. Haec jam in artis formam redacta complectebatur

poëtarum pertractationem, historiarum cognitionem, interpretationem verborum, pronuntiandi denique quendam sonum. Sic sane illa plus habebat in recessu quam fronte promittebat: nam et scribendi ratio conjuncta cum loquendo est et enarrationem praecedit emendata lectio et mixtum his omnibus judicium est. Propterea praeter rationem recte loquendi, non parum alioquin copiosam, illa prope omnium maximarum artium scientiam amplexa est. Quidquid ad intelligendos auctores requireretur, linguae accuratam cognitionem, verborum notationem, mythologiae, historiae, philosophiae, artium notitiam ad grammaticam artem retulerunt antiqui. Ne quis igitur tanquam parva fastidiat antiquae grammatices praecepta, quia interiora velut sacri hujus adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia posset, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam.

Et quid de arte rhetorica dicam? Novimus quanti hoc veteres aestimarint, pulcre, ornate, apte dicere, ut oratio hanc haberet vim ut esset quam maxime jucunda, quam maxime in sensus eorum, qui audiunt, influeret et quam plurimis esset rebus instructa. Hanc dicendi artem tradebant rhetores iis, qui grammaticorum scholas reliquerant. Dicta praeclare per omnes figuras, per casus et apologos aliter atque aliter exponebant, contexebant narrationes factorum, laudationes virorum illustrium, vituperia, fabulas. In primis controversias tractabant ipsi praeeuntes declamando vel declamantes juvenes moderantes, illos ad verba arteficiose facienda causasque orandas instituebant.

Difficilius sane illa, quam grammaticorum ars, Romae recepta fuit. Ante Augusti tempora inter libertinos praeceptores continebatur et turpe erat docere, quod honestum erat discere. Tum Blandus rhetor primus, eques Romanus, Romae docuit et ab hoc inde tempore rhetorum quoque doctrina vigescere et celebrari coepit. Cum eloquentia a foro et campo se ad subsellia judicum recepisset, minus his artibus pectus implebant juvenes, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo et injusto disputabatur, quam ut declamando in scholis linguam modo et vocem exercèrent.

Intelligitis, Auditores, haec grammatices et rhetorices studia apud Romanos omnibus Propaedeusin fuisse, quibus praepararentur ad alias

doctrinas tractandas, resque civiles suscipiendas. Et certe, exstincta libertate et foro deserto, tota juventutis institutio his scholis absolvebatur. Has omnes frequentabant adeo, ut, omnibus jam pervulgatis, vix quisquam esset, quin elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus esset. Nec Romae tantum sed in provinciis quoque hoc obtinuit, ubivis per totum orbem Romanum illae maximam vim in hominum studia habuerunt. Non mirum profecto earum curam Imperatores suscepisse, eoque majorem, quo pluris ipsi haec studia aestimarint.

Hac mente, ut a studiis bellicis hominum animos ad pacis artes reduceret, Julius Caesar omnes medicos et artium liberalium doctores civitate donavit, hoc optimum ratus remedium, quo exasperatos factionibus animos leniret, si ad literarum studia mentes converteret. Propterea bibliothecas in publicum usum instituit earumque curam Varroni, at quali viro! mandavit. Novimus idem deinde fecisse Asinium Pollionem, et quantopere Augustus litteris faverit, inde apparuit, cum Verrium Flaccum, celebrem grammaticum, nepotibus suis praeceptorem elegerit, quem magna sibi mercede devinxerat. Alium Maecenatis amicum Cajum Melissum ordinandis bibliothecis in porticu Octavia praefecit. Nolo de aliis nunc Imperatoribus dicere, quamquam Claudium novimus disciplinis liberalibus inde a prima aetate non mediocrem operam dedisse. Ad Vespasianum propero. Videte quantopere hic ingenia et artes excoluerit! Primus hic e fisco annua centena constitnit Latinis et Graecis rhetoribus, qui Romae docerent et publica auctoritate juventutem instituerent. Noluit caput orbis Romani hac in re cedere civitatibus Graecis, ubi jam diu publice docebant magistri, hoc existimans maximum urbis imperiique ornamentum, si litterae et doctrinae florerent. Propterea quoque confirmavit grammaticis et oratoribus civilium munerum vacationem, ante jam concessam, nec eam ademit philosophis, quamquam eos nimia loquendi libertate offensus ex urbe expulisset. Sic Vespasianus conditor scholarum publicarum in urbe exstitit. Et quos elegerit magistros, Auditores, vel Quinctiliani, at quanti viri, nos docet exemplum, qui sub ejus auspiciis florem juventutis Romanae, inter hos Plinium minorem instituit, nec causas destitit orare. Gratulamur te scholae Romanae praeceptorem,

> Quinctiliane, vagae moderator summe juventae,
> Gloria Romanae Quinctiliane togae.

Animadvertite vero, Auditores, quanta incrementa haec studia ceperint deinde.

Trajanus celebrem illam bibliothecam Romae condidit, quam a suo nomine Ulpianeam vocari jussit; sed ultro progressus est Hadrianus. Nostis virum, quam ille scilicet poëmatum et litterarum erat studiosissimus, arithmeticae, geometriae, picturae peritissimus. Doctus sibi ille videbatur adeo ut fere alios despiceret. Quaestionibus doctos semper agitans, multos ad summam familiaritatem admisit. In his Epictetus fuit, celebris ille philosophus, et non minus clari rhetores Phavorinus et Fronto. Sed quamvis sic esset in reprehendendo facilis, omnes tamen professores et honoravit et divites fecit. Ipse eorum doctrinam probare solitus, quos professioni inhabiles invenisset, ditatos honoratosque a professione demisit. Optime sine dubio ita provisum, ne indigni publicas cathedras occuparent. Sed praeterea ludum ingenuarum artium juxta forum Romanum condidit, quod Athenaei nomine insignivit. Nec tantum de scholis in urbe sollicitus, studia quoque Athenis restituere voluit. Bibliothecam ibi et gymnasium exstruxit, quod a suo nomine vocaretur. Instaurare voluit antiquam hujus urbis laudem, quae omnium doctrinarum et elegantiarum mater quondam fuerat, quae bonarum artium magistra atque inventrix dici jure meruit. Privatae ibi semper floruerant scholae et, prouti quisque sui fiduciam habebat, ita a cultissimis probari faciebat plurimi. In primis ibi philosophiae studium vigebat, multique principes viri eo confluebant, ut ejus cognitionem sibi acquirerent.

Hoc Marcum Antoninum movit, Auditores, ut quod inceperat Hadrianus, ille perficeret. Is scilicet ex Oriente redux, cum Athenas venisset, vir omni doctrina ab optimis magistris institutus et philosophi nomine celebris, Atheniensium civitatem extollere et honorare cupiit. Quod quidem quo meliore modo faceret, quam si ibi doctrinarum sedem confirmaret? Versabatur tum Athenis Herodes Atticus, praeceptor quondam Imperatoris, facundia et doctrina celebris, qui nunc alios ad eandem praestantiam informabat. Meliorem profecto, quem de scholae Atticae instauratione consuleret, Marcus invenire non potuit. Hujus igitur viri consilio commisit electionem eorum, qui philosophiam Platonicam, Stoïcam, Peripateticam et Epicuream traderent. Ipse Sophistas, qui maxime placuissent, Theodotum

et Hadrianum, rhetorices cathedrâ ornavit. Alios denique doctrinas politicas tradere jussit, omnibusque certa salaria ex publico constituit. Quas leges suae ille Academiae scripserit ignoramus, sed summa mansit semper Atheniensis cathedrae dignitas. Ad hanc nemo admittebatur, nisi post solemnem probationem, eamque saepe ipsi Imperatores conferre in clarissimos doctores solebant, summae eruditionis praemium. Docuerunt ibi plurimi doctrinae fama celebres, maximumque mansit haec schola urbis ornamentum. Efferebatur illa summis laudibus ob doctrinas ibi traditas, undique eo confluebant juvenes, non tantum ex Graecia sed ex toto Oriente atque ex Italia quo doctrinae fructum acquirerent, suis se singuli magistris applicantes. Nolo, Auditores, hujus instituti historiam nunc persequi, eorumque nomina conquirere, qui ibi docuerunt aut studiorum causa versati fuere. Testes tamen si forte requiritis, Septimium Severum et Julianum Imperatores, Boethium, Romanorum ultimum, Originem, Basilium, Chrysostomum, ecclesiae lumina, ex hac schola prodiisse animadvertite! Videtis per quam longam annorum seriem illa schola floruerit, quam Marcus Athenis condidit, ita ut ab Ausonio celebrari posset

Paciferae primum, cui contigit arbor olivae
Attica, facundae cujus mera gloria linguae.

Sed sentio in viam esse redeundum. De Marco nos dicere coëgit schola Attica; sed profecto Antoninus Pius quoque publicam institutionem non neglexerat. Per totum ille imperium scholas instauravit voluitque, ut in omnibus majoribus civitatibus auditoria publica essent et doctores a curia probati juventutem instituerent et docerent. Eorum salaria a civitatibus persolvenda ordinavit, eorum confirmavit honores et privilegia. Oratione ad Senatum habita ipse numerum professorum pro magnitudine civitatium definivit, descripsit eorum jura, immunitates, vacationem, monuit de illorum officiis, ut probati in patria sua strenue suo munere fungerentur. De philosophis vero numerum indicare noluit, optima sane ratione, quia scilicet rari essent, qui philosopharentur, illis tamen qui docerent, vacationem a muneribus personalibus et prisca jura concessit. Videte, Auditores, quam nulla tum civitas fuerit paulo major, quae non suos magistros

haberet, eaque res tanti visa Imperatori, ut lege numerum et jura praeceptorum definiret et caveret ita, ne alicubi discendi opportunitas juvenibus, praemia magistris deessent.

Tum certe jam per Gallias scholae florere inceperunt, quae eo litteras Graecas et Latinas propagarunt, tum in Africa rhetorica tractata, tum per omnes provincias diffusa antiquitatis cognitio.

Sed ad Romanam scholam denuo oculos convertite, Auditores. Quam vellem de Athenaeo ab Hadriano condito plura nota essent! At vel sic Imperatores hujus scholae curam non neglexisse, Adriani Sophistae exemplum docet, illuc a Marco vocati, docet in primis quod de Severo Alexandro refertur, illum ad Athenaeum frequenter processisse, ut Graecos et Latinos rhetores vel poëtas audiret. Reddidit deinde *τρεπτηρία*, cum rhetoribus et grammaticis Romae salaria institueret et auditoria decerneret et discipulos cum annonis pauperum filios modo ingenuos dari juberet. Sic ille provehere studia laudi sibi duxit. Postea Gordianus in Athenaeo declamavit. Et sane quantopere haec studia Romae floruerint, testem te evocare liceat, Aule Gelli, qui tam studiose grammaticorum et rhetorum disputationes audire solebas. Audivit hic, Hadriani et Antoninorum aetate, Sulpicium Apollinarem, qui Pertinacem docuit, Castritium ab Hadriano ob mores atque litteras spectatum, Julianum denique publica auctoritate in Athenaeo docentem. Optime ille nobis ostendit, quam studiose juvenes non tantum, sed viri quoque principes haec tractarent, quam omnes his exercitiis flagrarent. Credimus sic facile tibi, Martialis, affirmanti:

> Sed nec causidico possis impune negare,
> Nec si te rhetor, grammaticusve roget.

Sed video, qui mirentur, quare de grammaticorum et rhetorum scholis solliciti Imperatores, de scholis juris nihil constituerint. At vero, Auditores, hae scholae animos praeparare debebant, jus ipsum in hominum luce, a consuetudine prudentum, in foro et judiciis discebatur. Applicabant se juvenes viris doctrina claris, eos audiebant disputantes et respondentes, suos singuli praeceptores sectantes auditores vel studiosi. Remunerabant eos pro facultatibus suis, et docet exemplum Labeonis, fuisse inter summos Jurisconsultos, qui tempus ad docendum jus civile seponerent, ut ordinatius

illud vacantes traderent studiosis. Antoninorum tamen aetate exstiterunt Romae, qui juris civilis professionem susciperent, et, deserto foro, juris scientiam publice tradendo laudem sibi quaererent. Horum stationes frequentarat Gellius, hos Ulpianus et Modestinus memorant juris civilis professores, quibus Romae a tutelis et curis vacatio concessa fuit. At videte, quam probe eos a grammaticis et rhetoribus distinguentes, jurisprudentiae laudem tueantur Jurisconsulti! Juris civilis professoribus actionem negans ad salaria petenda, est enim, Ulpianus ait, res quidem sanctissima civilis sapientia, sed quae pretio nummario non est aestimanda nec dehonestanda: quaedam enim tametsi honeste accipiuntur, inhoneste tamen petuntur. Tanto habebant illos doctores honore et, si revera inter eos, qui tum publice docebant, Gajus est referendus, profecto non infimi ordinis erant juris periti illi, qui jure respondendi non ornati, docendo juventuti prodesse studebant. Quid mirum ad eos e provinciis undique juvenes confluxisse, ut Romae jus addiscerent, quod in patria non peraeque docebatur. Sic Romae exstitit sponte privata juris schola, optimaque omnibus opportunitas juris cognoscendi. In provinciis contra rari Jurisconsulti nec eodem loco habendi.

At erat tamen in Oriente civitas, ubi juris studium viguit quoque et floruit, hac jam aetate, quam urbem plane Romanam et scholâ juris ornatam celebrarunt aequales. Berytum in Phoenicia, antiquissimam civitatem dicere volo. Schola ibi liberalium studiorum, ubi juri in primis operam dabant juvenes. His Diocletianus providendo utilitati publicae concessit, ut ad vigesimum quintum annum ibi morantes, a studiis non avocarentur ad munera in patria subeunda. Quae fuerit hujus scholae origo, qui praeceptores ignotum, sed si Ulpianus ibi prima juris elementa didicerit, poterat sane illa tali gloriari discipulo, nec injuria dictum:

Ῥώμη μὲν ζαθέη δωρήσεται αὐσόνιος Ζεύς,
Κοιρανίην, Βερόη δὲ χαρίζεται ἡνία θεσμῶν.

Ad Constantinum propero, hunc enim bonas artes coluisse et in primis litterarum studia fovisse novistis. Eruditione clarus, summo loco doctos habebat, optimosque elegit filiis suis praeceptores. Domesticum hac in re sequebatur exemplum patris, qui ipsum ab optimis magistris institui voluerat.

De illo Constantio Chloro Eumenium audite praedicantem: „Cui unquam veterum, inquit, principum tantae fuit curae ut doctrinae atque eloquentiae studia florerent, quantae his optimis et indulgentissimis dominis generis humani, quos ego liberorum nostrorum parentes appellare non dubito, — cujus Constantii incredibilem erga juventutem Galliarum suarum sollicitudinem mirari satis nequeo." Et certe idem Eumenius expertus erat hanc curam, quem scholae Augustodunensium praefecerat, salarium concedens sexcenis millibus nummûm. Sed ad Constantinum ipsum redeo. Quid ille de studiis existimaverit, ostendit ejus constitutio, qua non tantum antiqua privilegia grammaticorum et professorum confirmavit, sed nova quoque addidit. Constituit enim, ut immunes essent, nec possent temere in jus vocari vel injuria affici, ita quidem ut, si quis eos vexaverit, centum millia nummorum aerario inferret, a magistratibus exigenda, ne ipsi hanc poenam sustinerent. Contra, ut fungerentur doctores honoribus volentes, permisit, invitos non coëgit, quo facilius liberalibus studiis et artibus vacarent multosque instituerent. Mercedes denique et salaria iis reddi a civitatibus praecepit, ne annona deesset praeceptoribus juventutis. Quid his legibus efficere voluerit, sponte intelligitis, Auditores; voluit hos doctores tueri contra eos, qui jam tum has doctrinas parvi facerent, ut eorum augens honores, praecaveret, ne publicae scholae alicubi interirent. Aberat procul ab eorum opinione, qui religioni Christianae infesta et noxia illa studia putarunt. Propterea cum Constantinopolin novam imperii sedem elegisset, studiis quoque liberalibus, artiumque professione urbem exornare constituit, ut ita omnibus palam faceret, quanti antiquitatis cognitionem aestimaret.

Quid de Juliano dicam? Atro ille carbone notatus qui religionis Christianae contemtor apostatae cognomine noscitur. At vero hoc velim mihi concedatis, summo quoque illum doctrinarum studio ductum, maximam publicae institutionis curam habuisse. Scilicet Constantinopoli jam audiverat grammaticum Nicoclem, rhetorem Echebolium, tum temporis ambo celebres. Nicomediam visitarat deinde liberalium desiderio doctrinarum, Athenis operam dederat litteris et philosophiae. Ita Libanii discipulus hunc antiquitatis amorem susceperat, quo religioni Christianae infensior fuit factus. Noluit, ut alieno colore inquinarentur Graecorum

doctrinae et litterae, atque ita corruptae et impurae traderentur juventuti. Puris et sinceris exemplis eam institui voluit et ipse, sibi doctorum reservans probationem, ostendit quam sibi de publicae institutionis pretio esset persuasum. Praecepit propterea, ut doctrina vera, doctores veraces moribus essent, adeoque, pro sua cogitandi ratione, absurdum esse putavit eos, qui antiquorum libros exponerent, Deos vituperare, quos illi coluissent. Propterea Christianos magistros rhetoricam et grammaticam docere vetuit. Nemini autem permisit, repente vel temere ad docendi munus prosilire, sed eos tantum admisit, qui bonis moribus et facundia excellentes, probati essent a civitatis curia et ab ipso confirmati, ut altiore quodam honore Imperatoris judicio studiis civitatium accederent. Sic igitur nemo, nisi probatus ad docendum admissus, omnes privatae scholae prohibitae, institutioni universae publice provisum.

Erat hoc profecto novum, Auditores; nam antea cuilibet licebat, qui sui fiduciam haberet, docere et juvenes collectos instituere, quacunque vellet arte et ratione. Non mirum igitur Valentinianum mox illam restituisse libertatem, ut, si quis vita pariter atque facundia idoneus esset, vel novum auditorium institueret vel repeteret propter Juliani prohibitionem intermissum.

Sic ubivis scholae restitutae laete iterum florere inceperunt. Sic ille

— — veteres revocavit artes,
Per quas Latinum nomen et Italiae
Crevere vires, famaque et imperi
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.

Et revera, Auditores, artes et doctrinas per totum imperium floruisse, scholasque fuisse ubivis conditas, facile animadvertimus. Nolo nunc immunitates memorare, varii generis artificibus dudum concessas; sed in Africam oculos mecum convertite. Ibi floruerunt in primis architectonicae studia, quae publico stipendio provehere studuit Constantinus, ut ad ea impelleret, qui annos duodeviginti nati, liberales artes degustaverint. Picturam quoque ibi multi tractabant, quos variis privilegiis ornatos videmus. Carthagine artium liberalium scholae, illic philosophorum officinae, cuncta denique vel linguarum gymnasia vel morum; — Alexandriae

schola medicorum vigebat, quorum quanta fuerint jura et immunitates, multae leges testantur, atque ita celebrata haec schola erat, ut medico sufficeret ad commendandam artis auctoritatem, si Alexandriae se diceret eruditum. In Asia Beryti pristinam laudem tuebatur schola juris, eo confluebant ingenui juvenes, ita ut Libanius queratur eloquentiae studium prae juris studio negligi atque omitti. Inde prodibant, qui juris scientia clari in Oriente, suâ doctrinâ juvabant magistratus. Taceo de aliis scholis Nicomediae aliisque locis florentibus, ubi eloquentiae et rhetorices praecepta tradebantur, Romae et alia studia et juris doctrina sedulo tum tractata. Illuc Palladius

> Facundus juvenis, Gallorum nuper ab arvis
> Missus, Romani disceret jura fori.

Et multi sine dubio alii cum eo ex Gallia tum eo abibant, ut legum accuratam sibi scientiam compararent.

Interierat, fateor, Auditores, illa jurisprudentia, qua superior aetas gloriata fuit, nec comparari poterant illi juris doctores cum prudentibus antiquioribus. Juris civilis scientia, quae Manilios, Scaevolas, Servios in amplissimum gradum dignitatis evexerat, libertorum officium dicebatur. Attamen, quamquam illa quoque pro miseria illorum temporum a sua praestantia desciverat, supererat tamen ejus studium, multique ei operam dabant. Spectabat illud in primis cognitionem eorum, quae scripserant superiores, et usum forensem, ut ad causas orandas juvenes praepararentur, qui dicendi artem a rhetoribus didicerant. In Gallia enim florebant maxime eloquentiae studia, variisque locis scholae discentium frequentia et doctorum doctrina celebres erant. Harum curam suscepit Gratianus Imperator, qui ibi educatus, praeceptorem nactus fuerat Ausonium Burdegalensem. Grammaticus hic et rhetor, qui per trina decennia in schola patriae docuerat. Hunc, Quaestorem primum suum, mox Praefectum Praetorio, ad consulatum tandem evexit. Ab illo fortasse monitus Praefecto Galliarum scripsit Imperator, ut frequentissimis in civitatibus optimi quique erudiendae praesiderent juventuti, rhetores et grammatici Atticae Romanaeque doctrinae. Simul eorum salaria constituit, ne arbitrio civitatium committerentur. Sic providit, ne haec studia ibi fatiscerent, quae maximo huc usque in honore

ibi fuerant. Audite Ausonium, Professores Burdegalenses vita functos celebrantem, Vos, ait:

> Vos etiam, quos nulla cognatio junxit,
> Sed fama et carae religio patriae
> Et studium in libris et sedula cura docendi,
> Commemorabo viros morte obita celebres.

Sic pia mente iis parentatus memoriam conservavit eorum, qui hanc Burdegalensem scholam illustrarunt, quique Tolosae, Narbone et alibi docuerunt. Multae enim ibi ubique scholae celebratae. Ex his Symmachus doctrinam hauserat, qua inclaruit, qui in ipsa urbe Roma Gallicanae facundiae haustus requirebat. Non quod his septem montibus eloquentia Latiaris excesserit, sed quia praecepta Rhetorices senex olim Garumnae alumnus pectori ipsius immulserat. Quidquid in me est, ad Galliam exclamat, id coelo tuo debeo. Non mirum igitur rhetores ex Gallia Romam vocatos, eaque studia instaurare etiam instituisse Gratianum, ne ullo loco frequentiore praeceptores deessent aut nimia civitatium parcimonia obesset studiis. Fuisse enim jam tum, quibus pecuniam studiis subtrahere, lucrum videretur, indicia probant. De Gallia haec ipsa Gratiani constitutio ostendit, et de urbe Roma quoque non desunt testimonia, ubi magistris juventutis subsidia fuisse detracta, Symmachus scribit. Optimis tamen firma stetit haec sententia bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis reipublicae ut disciplinarum professoribus praemia opulenta tribuerentur. Hoc persuasum quoque Gratiano fuit, cum ita praeceptoribus in Gallia prospexit, nullum majus Galliis suis munus se dare posse ratus, quam si ita publicae institutionis curam susciperet. Sic fuit

> Et spes et ratio studiorum in Caesare tantum,
> Solus enim tristes hac tempestate Camoenas
> Respexit.

Sed e Gallia, quo duxit nos oratio, Romam redeamus, Auditores! Quam multi eo interea abierint ex Africa aliisque provinciis, leges ostendunt, quas Valentinianus doctrinarum studiosis praescripsit. Nolim Vobis molestus esse, eas omnes recensens, sed numerosam ibi tum adfuisse

juventutem animadvertatis velim, quae curae Praefecti Urbis commissa, artibus et literis, eloquentiae et jurisprudentiae operam dabat.

Praefectus urbis advenientes inscribebat, praesentes admonebat, demittebat abeuntes. Illis, si bonis moribus sedulo operam professionibus navarent, usque ad vigesimum annum ibi manere licebat; si vero non ita se gesserant in urbe, uti liberalium artium dignitas postularet, poterant verberibus affecti in patriam remitti. Gravis certe poena, quae ostendit, quanti reipublicae interesse putarit Imperator, ut studiis gnaviter incumberent juvenes. Horum quoque sibi quotannis nomina et progressus significari voluit, ut judicaret, utrum sibi quandoque ad honores essent necessarii.

Si autem quis quaerat, quaenam in primis studia illi tractaverint, eloquentiam et juris scientiam Romae didicisse plurimi videntur. His illa celebris erat disciplinis

> Armorum legumque parens, quae fundit in omnes
> Imperium, primique dedit cunabula juris.

Symmachus in illo domicilio Latiaris facundiae studiis incubuit, Augustinus ibi jus didicit, aliique multi ubertatem nitoremque Gallici sermonis gravitate Romana temperarunt. Et profecto non frustra Imperator prospexit, ne juvenes vix pueritiam egressi in corruptissima civitate luxuria diffluerent. Videte, Auditores, quantopere curarint Imperatores, ne interiret quidquid superesset antiquae facundiae et litterarum, ne apud posteros periret doctrinarum notitia, quibus floruerant proavi. Persuasum iis erat, his quoque miserrimis temporibus, doctrinarum et eruditionis praesidio carere imperium non posse. Hoc movit Imperatorem Orientis Valentem, ut honore et praemiis ibi quoque studia litterarum excitare conaretur. Maxime sub ejus auspiciis floruere Musae. Quis adeo, Themistius inquit, juvenum animos ad studia litterarum erexit? Quis eloquentiae laude celebres maximis belli ducibus aequavit? De quonam audet philosophia majori cum jure gloriari? Fidem horum facit, quae superest ejus de bibliotheca Constantinopolitana constitutio, qua conservare studuit antiquorum ingenii monumenta. Hujus instituit vestigiis Theodosius secundus, cum privilegia confirmaret, grammaticis, oratoribus, philosophis

pridem concessa. Scholam hic Constantinopoli instauravit. Condidit ibi primus veram, quae tum dici posset, universitatem, in qua docerent tres oratores, quos Romanae eloquentiae doctrina commendaret, grammatici vero decem, Graecae facundiae praeceptores essent quinque et grammatici aeque decem. Praeterea unum addidit, qui philosophiam traderet, et duos, qui juris ac legum formulas explicarent. Singulis sua propria auditoria assignari voluit in Capitolio, ne discipuli sibi invicem possent obstrepere, neve linguarum confusio aures aut mentes a studiis avocaret. Spatiosa ea fecit et ornata, ut studiis suus honor constaret, nec locus deesset studiosis. Doctores vero ipsos ab amplissimo ordine, Senatu Constantinopolitano probatos, optimos quosque creari praecepit. In iis docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem copiamque disserendi requisivit. Summis eos extulit honoribus. Non tantum enim ornavit statim quosdam codicillis comitivae primi ordinis, sed simul constituit, ut eodem afficerentur honore, qui ad viginti annos observatione jugi ac sedulo docendi labore pervenerint.

Sic igitur ille suam ordinarat academiam, ubi jam praeter litteras Graecas et Latinas, philosophia quoque et, novo nunc exemplo, etiam jurisprudentia explicari coepit. Ut vero hujus laudem tueretur, vetuit Professores alibi quam in suis auditoriis docere, simulque alios publice profiteri prohibuit. Sic igitur ampla omnibus in Oriente quoque discendi opportunitas concessa, qualis exspectari potuisset a Principe, qui ipse artibus liberalibus operam dederat, summoque fecerat loco eruditos. Quis dubitet, quin sub ejus auspiciis schola juris Berytensis, aliaeque in singulis civitatibus scholae florere perrexerint! Caesareae, Antiochiae, Alexandriae certe magna doctorum discentiumque fuit frequentia, nec interierat Athenis antiquarum elegantiarum memoria. Manserunt professoribus sua antiqua privilegia, confirmata tandem a Justiniano. Quantâ hic cura institutioni prospexerit non tantum ostendit, receptis priorum Principum constitutionibus in Codice, sed demonstravit quoque prolixa lege ad Antecessores, qua publicas juris scholas Constantinopoli et Beryti confirmavit, et doctrinam discipulis tradendam accurate descripsit. Hoc ipsius fuerat propositum, ut juvenes et oratores maximi et justitiae satellites invenirentur et judiciorum optimi tum athletae tum gubernatores, omni loco aevoque felices!

Sic ille demum perfectam suam juris emendationem putavit, cum simul ordinasset juris docendi rationem, remque tanti aestimavit, ut non alibi quam in regiis urbibus et Beryti jus tradi concesserit. Nolo Vos morari, Auditores! longo de illa lege sermone, nolo repetere quae de jure tradendo accurate praescripsit, sed videte, quam praeclari pro illorum temporum ratione tum adfuerint in illis scholis doctores. Hic, quem ad suas compilationes Imperator adhibuit, Theophilus Constantinopoli docuit, Beryti Dorotheus et Anatolius scholae praeerant, quorum laudes ipse celebravit.

Sed non substitit ejus opera scholis hisce instaurandis et ordinandis. Vix Italiam adjecerat imperio Belisarii virtus, cum Romanae quoque Academiae curam susciperet. Illam scilicet maximum regni sui ornamentum tuiti fuerant Gothorum reges, curarant ne subsidia institutioni deessent. Egregium habemus hujus curae documentum Athalarici epistolam ad Senatum. Nefas hic judicavit doctoribus adolescentum aliquid subtrahi, qui essent potius ad gloriosa studia per commodorum augmenta provocandi. Hoc exspectari potuit ab eo, qui opera utebatur Cassiodori, doctissimi viri, qui quam feliciter studioseque artes liberales tractaverit, testantur ipsius scripta de variis disciplinarum generibus. Hic profecto plurimi facere debuit scholam Romanam, ubi facundia veterum supererat, jurisque scientia nondum interierat, ubi scripta veterum adhuc legebantur et priscorum vigebat memoria. Haec ne interiret, Justinianus Italiae victor praecepit, ut annonae, quas grammaticis, oratoribus vel etiam medicis vel juris peritis ante dari solitum erat, et in posterum suam professionem exercentibus erogarentur, ut juvenes liberalibus studiis eruditi, per rempublicam florerent. Ita ille de artibus liberalibus aestimavit, Auditores, optimos ex ipsarum tractatione fructus in civitatem redituros. Haec Imperatoris voluntas:

Sit censura patrum, sit disciplina per orbem,
Priventur caedes populorum, jurgia cessent,
Nullus laedendi pateat locus, usus iniquae
Cesset avaritiae, subjectis parcite nostris.

Quid jam Vobis videatur, Auditores, nescio, sed hoc tamen mihi concedite, summae semper curae fuisse Imperatoribus Romanis institutionem

publicam. Vidistis numquam eos illam neglexisse, sed quo magis ipsi imbuti essent artibus liberalibus eo studiosius illius curam suscepisse. Optimi quique eam provehere, emendare, ampliare conati sunt, honoribus et salariis studia adjuvare, Professores optimos quosque eligere. Erat sane misera tum imperii conditio, cum exhaustum illud et debilitatum invaderent undique hostes, quibus resistere vix amplius possent Imperatores. Sed vel sic tamen non omiserunt doctrinarum artiumque cultum. Hoc in primis rati, in media temporum labe, sibi ornamento et praesidio futurum, si illas doctrinas non sinerent perire, quibus diu Romani ceteris gentibus praestiterant, ut ita viribus inferiores, manerent tamen superiores ingenio et scientia! Ipsi fassi sunt barbari reges! Arma enim et reliquae gentes habebant, sola reperitur eloquentia, quae Romanorum dominio obsecundaret. Profecto, si in multis reprehendendi, hac saltem in re bene meriti sunt de subditis non tantum, sed de posteris quoque, et exemplnm reliquerunt omnibus imitandum. Apud aequales eruditionem et bonas artes promoventes, conservarunt simul illam antiquitatis memoriam, illa veterum scripta, quae deinde ab iis tradita acceperunt gentes Germanicae. Servarunt illam a proavis acceptam hereditatem, quae barbaris jam ingruentibus transmissa, aliquando principium exstitit et fons doctrinae et humanitatis. Hoc caveat serior aetas, ne, quod sponte fecerunt optimi quique Imperatores, illud omittere videatur, sed horum insistens vestigiis studia artium doctrinarumque provehat et tueatur, ut floreant perpetuo maneantque civitatibus praesidium, singulis ornamentum. Sic non deerunt, qui consilio rempublicam juvare possint, quibus gloriari possit patria. Haec studia tueri pergat o utinam! patria nostra, ut verum maneat, quod de ea dictum fuit aliquando:

Hic nunc Musarum domus est, hic doctus Apollo,
Hic posuit sedes Dorica diva suas.

Pergo ad alteram Orationis partem, Auditores, qua ea mihi enarranda veniunt, quae hoc anno Academiae prospera et adversa acciderint.

Luxit illa filium Regis Augustissimi natu minorem, flebili funere elatum. Longam illi vitam precati fuerant omnes boni, sed aliter decrevit Deus. Puer occidit, luctuosus omnibus, a quo viro optima quaeque speraverat patria!

Ubi vero nostrae Academiae fata enarranda sunt, quid prius memorem, quam Regis Augustissimi munificentia, qua rursus optimus Princeps palam ostendit artium doctrinarumque studia promovendi et adjuvandi firmum stare sibi propositum, Academiasque patriae caras sibi esse et acceptas. Aemulari hac in re voluit optimos quosque Romanos Imperatores. Voluit enim, ut quotannis in singulis patriae Academiis per vices quaestiones studiosae juventuti proponerentur a diversis facultatibus, iisque, qui optime iis respondisse viderentur, ipsius nomine et sumtu aurea praemia tribuerentur, et, ut victorum nomina sibi indicarentur, praescripsit. Ecce, studiosi Juvenes, praemia vobis ab ipso Rege proposita, ipse Princeps vos ad studia adhortatur additque calcaria, ut artes doctrinasque gnaviter et studiose colatis; Ipse vos impellit et urget; Vos vestram rem agite, Academiae, patriae honorem tuemini, Regis votis respondete! Optimos sic Augustissimus Rex fructus videbit hujus novi beneficii, in patrias Academias collati, intelligetque non frustra se denuo publicae juventutis institutionis laudabilem curam suscepisse. Agite nunc, commilitones, arripite, quae vobis nunc datur a Rege opportunitas, ut nomen laudemque vobis quaeratis. Nolite ejus spem destituere, quam de vobis concepit, sed ostendite studia adhuc in patria nostra nostraque Academia gnaviter coli, vosque non degeneres a proavorum virtute laudem ab iis partam tueri et conservare velle. Sic ipsi studiorum fructus habebitis uberrimos, sic patriae non deerunt quibus gloriari possit, sic Academia nostra florebit perpetuo.

Vestram illa curam et providentiam hoc quoque anno experta est, Viri Amplissimi, Academiae Curatores! quos omnes salvos et incolumes laetantur profecto omnes, quibus Academiae prosperitas cordi est. Habetis sollicitudinis vestrae fructum, Academiae florem. Pergite ejus curam gerere,

ejusque commoda tueri. Diu Vos servet Deus, ut patriae ornamento, Academiae praesidio sitis, vestrâque providentiâ illa nomen locumque suum tueri possit.

Tibi vero, Amplissime LYNDENE, quem aetate senem, animo virum omnes veneramur Academiae nostrae Nestora, concedat Providentia divina ut diu adhuc nobis superstes experientia et consilio, cura et sollicitudine Academiae nostrae, patriae, omnibus prodesse possis, eoque fruare senectutis ornamento, quod tibi virtute et comitate ex communi omnium veneratione parasti.

Ubi vero ad Vos me converto, Viri Clarissimi, in hac Academia varias disciplinas tradentes, est sane quod divinae Providentiae gratias agamus, quae Vos omnes juventuti, Academiae, patriae servavit incolumes, omnibusque concessit, ut etiam hoc anno doctrinarum studia promovere, juventuti prodesse liceret. Attamen, prouti fert rerum humanarum natura, in vestro quoque ordine laetis tristia admixta fuerunt.

Vidimus Clarissimum BUYS BALLOT infantem, mox ipsam conjugem carissimam, patrem denique dilectissimum lugentem, ejusque sensimus dolorem. Triplici funere domus ejus orbata fuit, et sentio quam difficile foret solatium de recentibus vulneribus afferre. Sed haec mentem ejus erigat cogitatio, haec quoque ab illa Providentia divina proficisci, quae omnes summo amore amplexa, nil agit nisi quod est optimum nobisque utilissimum. Nostrum est tacere, ejusque consilia pia mente venerari, eaque agere quae nobis mandata sunt, dum vires vitaque sinunt. Ipsi vires vitamque largiatur Deus, ut diu adhuc Academiae et juventuti superstes multis doctrina prodesse possit, fructusque habeat studiorum uberrimos.

Quid vero tibi dicam, Clarissime GROENEWOUD! Erepta tibi fuit, quam filiae instar amabas, quae te patris instar venerabatur. Scio, quantum perdideris, sed te quoque erigat spes melioris vitae, ubi nos exspectant, quos hîc lugemus, aeternaque luce fruuntur, quos inter vitae aerumnas dileximus.

Tibi quoque, Clarissime VAN HALL, carissimum fratrem dira mors eripuit, quae ad omnes progrediens nec aetati parcit nec amori. Dolorem tuum quoque temperet divinae Providentiae veneratio.

Gravia haec et tristia nobis acciderunt, sed non desunt etiam laeta et felicia. Inter ea autem hoc in primis reputo, quod tibi, Clarissime Bergsma, insignia equitis tribuerit Regis augustissimi benevolentia. Gratulamur tibi, Vir Clarissime, ex animo honorem, quo utinam per longam annorum seriem fruens, studiosae juventuti prodesse pergas!

Vos autem jam mihi compellandi estis, studiosi juvenes! Commilitones carissimi, qui hoc quoque anno Academico eam morum modestiam et probitatem ostendistis, quae non frustra vos artibus et doctrinis operatos demonstrat. Sedulitate, diligentia et progressibus plurimi vestrum se commendarunt.

Vestro e numero fuerunt Academiae alumni, Medicinae Candidati, Haerten, Vermeulen et Delmonte Lyon, qui gravissimo diroque morbo affectis in hac urbe artis medicae opem sedulo praestarunt summoque studio aegrotos curarunt. Donis remunerati sunt sedulitatem et curam urbis magistratus, sed maximum hoc iis praemium erit, benefactorum conscientia. Quam ita artem salutarem tractare inceperint, diu nunc Medicinae doctores ad plurimorum salutem per longam annorum seriem conferant.

In hujus laudis societatem quoque venit Medicinae Candidatus van Persyn, qui, quod fecerunt illi in urbe, suscepit in vico haud longe remoto, Harmelen dicto. Illi quoque gratum animum testati sunt magistratus propter curam, qua tristissimo morbo laborantibus succurrit. Contingat illi diu artem salutarem, cui se dicavit, exercere studiorumque et industriae laetos usque percipiat fructus!

Sed in memoriam Vobis quoque revocare lubet, Commilitones, festum quo Vos exceperunt hujus urbis cives. Ostenderunt profecto quanti faciant vinculum, quod semper Academiae cives cum hujus urbis incolis conjunxit, quam omnia agere velint, ut Vobis, studiorum causa ad hanc Musarum sedem venientibus, inter studia graviora non desit remissionis opportunitas. Hac ita tum usi estis ut modestiam et humanitatem, quae literarum studio paratur, omnibus probaveritis, et quam Vobis gratum acciderit hoc publicae benevolentiae testimonium ipsi testati estis, concentu musico gratias agentes illis, qui festum procurarunt.

Parantur nunc jam alia novaque a Vobis festa, quo studiorum gravitas temperetur ludorum hilaritate. Et revera

Non semper tendit arcum Apollo,

et opus est, ut ingenii vires reficiantur, studiis fatigatae, ut ad ea redeant alacriores. Haec vero studia, scio, vos non deseretis; magni ea faciunt plurimi vestrum, scientes sic demum studio et labore doctrinae praestantiam posse acquiri, eaque posse perfici, quae a vobis exspectant parentes, Academia, patria. Pergite, quo coepistis, juvenes! Vestra haec aetas est, qua ea comparanda sunt, quibus ornetur deinde vita, decoretur patria. In vobis haec spem suam repositam habet, a vobis praesidium exspectat! Hoc vos omnes incitet tempore uti et opportunitate concessa, ut gloriari suis alumnis perpetuo possit Academia, possit patria gloriari civium virtute et doctrina! Agite igitur, ubi ipse Rex Augustissimus vos incitat, novo ardore ad studia vestra redeatis omnes, Vosque humanitate et modestia commendare pergite!

Quam vellem hîc subsistere possem; sed triste superest officium. Parentandum mihi iis est, quos ex suis civibus luxit Academia hoc anno defunctos.

Obierunt enim diem supremum quatuor cives, juvenes eximii: — Theologiae studiosus Boogaard, jam in candidatorum numerum receptus; Theologiae item studiosus Molster, vix civibus adscriptus; Litterarum studiosus Romeyn, et Theologiae studiosus Ledeboer, omnes parentibus, magistris, amicis flebiles juvenili aetate exstincti fuerunt, quibusque se dicaverant studiis erepti. Sic nec florens aetas nec juvenile robur a morte potuit defendere, omnesque suo exemplo admonuerunt: Mementote mori. Avete, piae defunctorum animae, magnum omnibus vestri desiderium reliquistis, nec vestri defunctorum obliviscentur, quibus cari fuistis viventes, avete, iterumque avete!

Superest mihi, ut de Academiae supellectile dicam.

Bibliotheca hoc anno, tum pecuniâ ex aerario publico et curatorum decreto praebita, cum donis etiam privatorum et societatum Litterariarum admodum locupletata est, in quibus hoc anno memoranda sunt opera ab Architectis

regii instituti edita, qui, venia ab Academiae Curatoribus impetrata, e collectione Molliana catalogum mapparum geographicarum, hydraulicarum et reliquarum ad patriam pertinentium, typis mandari curarunt, cujus catalogi aliquot exempla dono bibliothecae obtulerunt.

Amanuensis catalogum librorum historicorum in artem redegit, speratque se, per hunc annum academicum, libros etiam chronologicos, diplomaticos, heraldicos, genealogicos, biographos, deinde libros ad geographiam, topographiam, philologiam, philosophiam theoreticam et paedagogiam pertinentes, tum qui litteras Orientales, Graecas, Latinas, Septentrionales et Gentium recentiorum tractant, denique eos, in quibus de archaeologia, de monumentis, de numismatibus et de epigraphia agitur, postremo libros ad artes tam gentium antiquarum quam recentiorum, ad architecturam, sculpturam, picturam, reliqua spectantes, per genera et species distinctos ita in catalogum redacturum esse, ut facile cognosci possit, quinam libri ad varia genera et species pertinentes in Bibliotheca adsint.

Hortus Botanicus, quantum potuit fieri, conservatus et auctus fuit. Accepit praeterea multas accessiones ex coloniis nostris, in primis ex regione Surinamensi in America Meridionali, procurante Consultissimo ibi causarum patrono HEILIDY, et ex horto Bogoriensi in insula Java ex India Orientali, curâ et industria hortulani TEYSMANN. Inde factum est, ut plurimae permutationes fieri potuerint cum horto regio Hanoverano et horto publico Parisiensi, plurimisque aliis publicis et privatis, tam in patria nostra quam apud exteros. Sic aucta admodum mutuo commercio copia plantarum rariorum, ita ut Academiae hortus gloriari possit multis raris pulcrisque plantarum speciebus, quae in tradenda botanices doctrina egregium usum praestarunt.

Conservatum quoque fuit sedulo *Museum Zoologicum* usuique, cui destinatum, recte inservire perrexit.

Museum Anatomicum hoc anno accepit varia specimina, inter quae eminent ea, quae ad partes interiores pertinent Leaenae, Ursi maritimi, Moschi javanici, Cynocephali Inui, Phocae et Lophii piscatorii. Ceterum omnia specimina bene conservata fuerunt, et ea quoque quae ad Osteologiam pertinent, pluribus novis fuerunt aucta.

Museo Physico etiam accesserunt quaedam instrumenta, illudque usibus

studiosorum inservire pergit, eoque magis, quo nunc quoque studiosis opportunitas concessa fuit se in hac doctrina exercendi.

Laboratorium chemicum egregie hoc denuo anno inserviit doctrinae illustrandae, multique opportunitate ad experimenta instituenda naviter usi sunt.

Nosocomium denique *Academicum* eodem statu mansit et servatum fuit. Attamen, quatenus locus suppetebat, multi variisque morbis laborantes suscepti fuerunt, ita ut medicinae studiosi plura ibi morborum genera ipsi cognoscere potuerint, eamque acquirere peritiam et dexteritatem, quibns in primis futuro Medico opus est. Etenim diversae operationes chirurgicae et ophthalmiaticae insignes factae sunt, plurimis parturientibus ibi receptis auxilium latum et sic, quantum fieri potuit, hoc quoque institutum studiosae juventuti profuit.

Haec de Academiae fatis et supellectile dicenda erant. Unus mihi superest actus, ut jam regundae Academiae munus tradam successori designato. Ex Regis augustissimi igitur decreto Te, Corneli Guilielme Opzoomer, Vir Clarissime, Rectorem Academiae in annum proximum dico, renuntio, proclamo. Accedas ad sedem tibi destinatam, quam tibi cum fascibus lubens relinquo.

Salve, Rector Magnifice! iterumque salve. Felix tibi et faustus sit tuus magistratus, floreat, te Rectore, et vigeat Academia nostra maneatque illa virtutis et doctrinae seminarium, unde plurimi prodeant ornamento et praesidio patriae futuri. Perpetuo illa nomen laudemque suam tueatur! Ita faxit Deus Optimus Maximus!

Post ea, quae hujus diei solemnitas postulabat, superest mihi privatum officium, ut nempe judicia Professorum renuntiem de quaestionibus, superiori anno ex hac ipsa cathedra palam propositis, cum studiosi juvenes rursus ad certamen literarium provocarentur, praemiis nomine Professorum in hac Academia, qui hoc constituerunt, propositis.

Ad quaestiones propositas responsa acceperunt Professores *Literarum*, *Medicinae*, *Theologiae* et *Jurisprudentiae*.

Judicium vero Professorum literarum et philosophiae theoreticae ita conceptum est:

Professores ordinis philosophiae theoreticae et litterarum humaniorum superiori anno duas proposuerunt quaestiones:

Prima: Phocionis Atheniensis in administranda republica voluntas, ratio, consilia et acta exponantur et dijudicentur.

Altera: Generales regulae, tam jubentes quam vetantes, quae in morum disciplina tanquam sanctae et immutabiles vitae leges proponi solent, veluti: proximum tuum diligas, ne mentiare, ne occidas, ceterae, unde ortae sunt et quam habent auctoritatem?

Harum quaestionem ad alteram nullum acceptum est responsum; ad priorem vero unam acceperunt commentationem, inscriptam hoc lemmate: *ἐκ μέρους γιγνώσκομεν.*

Qua commentatione lecta ordo judicavit eam pluribus se commendare dotibus: agnovit in scriptore diligentem fontium cognitionem, accuratam rerum et temporum notitiam, sanum veri falsique judicium. Cum his vero dotibus Ordo doluit non conjunctam esse eam Latini sermonis puritatem et dilucidam illam argumenti expositionem, quae in Litteraria disputatione jure exspectantur. Quam ob rem Ordo censuit scriptionem hanc non aureo quidem praemio donandam; attamen dignissimam esse quae publico laudis praemio ornaretur. Itaque decrevit, ut honorificum Ordinis de ea judicium palam enuntiaretur ejusque judicii documentum scriptori daretur.

Aperta scidula apparuit responsi auctorem esse ELIAM FRIDERICUM HENRICUM WOLF, Gelrum, e pago Leeuwen, Theologiae in hac Academia studiosum.

Accedas igitur, Ornatissime WOLF, ut accipias industriae testimonium, quod tibi praeceptores decreverunt. Audivisti, multa in tua scriptione erant laudanda, hoc tibi praemium sit laboris et operae; nonnulla etiam vituperanda, hoc te incitet, ut naviter progrediare operamque des ut, quae tibi desint, assequare. Accipe hoc testimonium, sitque tibi calcar ad magna omnia et praeclara. Alia studia jam te vocant, quibus vitam dicare optas. Sint illa tibi felicia, tibique contingat multis prodesse eâ doctrinâ, quam hîc parasti. Magna jam ausus es, perge ad altiora, sic nec tibi nec aliis frustra vixeris.

Judicium Ordinis Medicorum tale est:

Ordo Medicorum hanc proposuerat quaestionem:

Quaeritur, quid efficiant ad fibrinae e sanguine acquirendae quantitatem mutandam:

1°. diversa, quacum liquor examinandus e vena vel arteria effluxerit, celeritas;

2°. parcior aut copiosior eademque sive promtior sive tardior sanguinis detractio, proxime praegressa;

3°. temperatura diversa, motus, quies, aliae conditiones, quibus sanguis emissus subjiciatur.

Ad quam quaestionem ita respondeatur, ut, experimentis institutis, requisitae quantitatis differentiae primum definiantur, deinde, quoad possint, explicentur.

Unum accepit Ordo responsum, hisce Schilleri verbis inscriptum: „Es kommt hier nicht auf den Werth der Materie," cet. Auctor hujus commentationis tam multa instituit experimenta, ut singularem inquirendi diligentiam et assiduitatem abunde probaverit. Dolendum vero experimenta non satis fuisse ad argumentum accommodata. Tot scilicet neglectae sunt conditiones, ad quas omnino attendi debuisset, ut vim ac sententiam quaestionis auctor non plane percepisse videatur. Conspectus historicus, experimentorum narrationi praemissus, pro maxima quidem parte a quaestione alienus est, in iis autem, quae ad rem attinent, nec satis plenus, nec critices luce illustratus. Quae cum ita sint palma certaminis auctori decerni non potuit. Ne tamen tanto labori praemium deesset, publice laudandum esse scriptorem et industriae testimonio condecorandum, ordo medicorum judicavit.

Aperta scidula auctorem se prodidit Marcus Janus Baart de la Faille, Medicinae Candidatus in Academia Groningana.

Accipe, Ornatissime juvenis, quod tibi decretum fuit testimonium. Eadem diligentiâ in studiis tuis pergas, indefesso labore naturam scrutare, sic fructus studiorum tibi non deerunt. Et si palmam accipere tibi haud contigerit, incendat hoc testimonium ardorem, ut ad majorem praestantiam tendas, et indefesso labore progrediare, ut aliquando in publicam salutem conferre possis, cui te dicasti, artem salutarem.

Ordinis Theologorum judicium hoc est:

Theologorum ordo hanc explicandam proposuit quaestionem: Narrationes de Sauli ad Christum conversione, quae in Actorum Apostolicorum libris exstant, conferantur, explicentur, a dubitationibus novissimis praesertim vindicentur, item hujus conversionis momentum ad comprobandam religionis Christianae veritatem exponatur.

Quam igitur, quae tractare instituisset, quaestionem una ad nos allata est commentatio, Calvini hocce notata dicto: "horum quae scire nec datur nec fas est, docta est ignorantia." Atque hoc in argumento explicando singulisque ejus partibus prosequendis, non plane contemnendam operam posuisse, laudabilemque industriam, auctorem comperimus ac probavimus. Quam ipsam illius, qui solus omnium Theologiae studiosorum quaestionem attigerat, industriam praemio dato ornare cupierat Ordo. Verum plurima obstiterunt, eaque gravia, quae laudes obfuscabant, vitia et maculae. Latinitas enim plane barbara erat et Germanice dictis ubique intermixta ac turbata oratio. Tum in locorum qui interpretandi incumbebant, enarratione critica ac grammatica, haudquaquam accurate versatus erat. Reliqua in disputatione, praesertim in altera ejus parte, haud pauca quidem bene dicta erant, at longe plura, ubi judicii vel subtilitatem desiderares vel limum vel constantiam. Causam vero quod continet, adeo non *suus* esse nobis apparuit auctor, ut raro ejus quod *sibi* esset, ingenii vel judicii periculo facto, pleraque ex recentissimis librorum auctoribus collegisse videretur. Quocirca, quod libenter dare voluerat juveni prae commilitonibus suis industriâ conspicuo ac propterea valde laudando, praemium denegare debuit invitus Ordo.

Judicium Ordinis Jurisconsultorum ita sese habet:

Ordo Jurisconsultorum duas superiori anno Juris Candidatis proposuit Quaestiones, quarum altera historiam spectabat probationis per testes in causis civilibus, altera tributorum quae directa dicuntur aut indirecta commoda et incommoda; de illo argumento Latine tantum, de hoc vero vel Latine vel etiam Belgice conscribendos commentariolos postulavit.

Unum tantum ordo accepit responsum ad priorem quaestionem pertinens,

Latino sermone conscriptum, hoc autem lemmate insignitum: „Les temoins sont les yeux et les oreilles de la justice."

Argumentum in ea disputatione secundum quaestionem propositam satis recte in tres partes est distributum, quarum prima ejus historiam, altera comparationem legum recentiorum, tertia explicationem juris nostri spectat. Magnam in quaestione elaboranda auctor adhibuit diligentiam, scriptores recentiores plerosque cognovit; sed in historica parte, quod ad jus Romanum attinet, praecipua ejus loca magis collegit quam exposuit; quod vero medium aevum spectat, non satis ipsos fontes adiit et interpretatus est. Quod eo magis dolendum est, quod quaestio praecipua sui parte est historica, adeoque ex historia potissimum recentioris juris praecepta in eo argumento videntur explicanda. Itaque auctor peculiarem probationis per testes, quae medio aevo animadvertitur, naturam non satis indagavit, imo ipsas causas civiles et criminales parum distinxit. In duobus etiam reliquis capitulis potuisset auctor accuratius, in universa vero disputatione castigatius et magis Latine scribere. Itaque laudanda Ordini visa fuit auctoris diligentia, qui argumentum haud ita parvae difficultatis fusius exponere aggressus est, aureo tamen praemio condecorari non potuit.

Audivistis certaminis exitum juvenes. Pauci in arenam descenderunt. Nolo de praeteritis queri, sed committere nolite, ut minutam vestram diligentiam quis possit jam criminari, ubi denuo in arenam Vos vocat, non praeceptorum vox, sed ipsa Regis augustissimi voluntas. Hoc vos incendat. Palma est proposita, patet campus, Vos vestram rem agite.

Peregi, quae mihi peragenda erant, Tu vero, Deus Optime Maxime, qui es Sol Justitiae, Academiam nostram illustra, ut illa tuo lumine collustrata late splendeat, tuo illa numine tuta floreat vigeatque perpetuo. DIXI.

ACTA ET GESTA IN SENATU

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE

A DIE 26 M. MARTII MDCCCL AD DIEM 26 M. MARTII MDCCCLI.

MDCCCL.

Die 12 m. Junii. Rector cum Senatu communicat tristem nuntium obitus Principis MAURITII, GUILIELMI II Regis filii desideratissimi.

MDCCCLI.

Die 6 m. Februarii. Designantur secundum Art. 149 Decreti regii, d. 2 m. Aug. 1815 N°. 14, quatuor Professores, e quibus ab Augustissimo Rege Academiae Rector Magnificus in proximum annum eligatur, quorum nomina haec sunt:

Cl. C. G. OPZOOMER.
F. C. DONDERS.
G. J. MULDER.
H. E. VINKE.

Designantur item quatuor viri, e quibus in proximum annum academicum eligatur Senatus Actuarius, nempe hi:

Cl. B. J. LINTELO DE GEER.
G. J. MULDER.
A. VAN GOUDOEVER.
L. C. VAN GOUDOEVER.

Assessores declarantur Viri Clarissimi,

G. J. LONCQ.
G. J. MULDER.
H. BOUMAN.
J. VAN HALL.

Die 13 m. Februarii. Rector cum Senatu communicat litteras Curatorum, virorum amplissimorum, d. 10 m. Februarii, cum apographo epistolae, Regis nomine ad ipsos datae, d. 7 m. Februarii, qua significatur placuisse Regi, quo magis doctrinarum studia in academiis patriis promoveret, Senatus Universitatum Lugduno-Batavae, Rheno-Trajectinae et Groninganae invitare, ut quotannis ex ordine, sua quisque vice, octo proponant quaestiones e diversis disciplinis petitas, ad quas ab Academiarum et Athenaeorum alumnis respondeatur, praemiis propositis aureis nummis, qui Regis nomine et impensis assignentur iis responsis, quae palma digna judicantur, et victoribus die natali cujusque Academiae distribuantur.

Quibus cognitis Senatus decrevit, ut Rectori Magnifico et Actuario mandetur, Senatus nomine Regem adeant, pro eximia ipsius liberalitate et studio in res academicas gratias acturi.

Die 26 m. Martii. Comitante Senatu in cathedram deductus est vir clarissimus BARTHOLDUS JACOBUS LINTELO DE GEER, Rector Magnificus, qui habita oratione: *de cura institutionis publicae juventutis, quam habuerunt Imperatores Romani*, enarratisque quae cum prospera, tum adversa Academiae accidissent, in proximum annum Rectorem Academiae Magnificum proclamavit et salutavit virum clarissimum CORNELIUM GUILIELMUM OPZOOMER.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

INDE A FERIIS AESTIVIS EXEUNTIBUS ANNI CIƆIƆCCCL, USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLI,

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

BARTHOLDO JACOBO LINTELO DE GEER.

IN FACULTATE IURIDICA.

Ius Pandectarum tradet A. C. Holtius, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, horâ XII.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. J. L. de Geer, diebus lunae, martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, horâ VIII.

Historiam Iuris Romani tradet B. J. L. de Geer, diebus lunae, horâ XII, iovis, horâ X, et saturni, horâ XII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. J. L. de Geer, diebus martis, mercurii et veneris, horâ I.

Gaii *commentarios institutionum* explicabit B. J. L. de Geer, die martis et veneris, horâ X.

Ius civile Nederlandicum docebit J. van Hall, die lunae, horâ XII, diebus martis, mercurii et iovis, horâ I.

Ius mercatorium et maritimum exponet J. van Hall, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ IX.

Rem iudiciariam et rationem procedendi in causis civilibus explicabit J. van Hall, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ X.

Exercitiis practicis, a provectioribus instituendis, praeerit J. van Hall, diebus lunae, horâ I.

Historiam iuris patrii, maxime Hollandici, tradet J. van Hall, die saturni, horâ IX.

Historiam gentium recentiorum politicam tradet J. ACKERSDYCK, diebus martis, iovis et saturni, horâ IX.

Statisticam I. ACKERSDYCK, iisdem diebus, horâ XI.

Oeconomiam politicam docebit I. ACKERSDYCK, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ XI.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita exponet G. G. VREEDE, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ IX.

Ius publicum Batavum tradet G. G. VREEDE, diebus lunae et martis, horâ VIII.

Iuris publici patrii historiam adumbrabit G. G. VREEDE, die saturni, horâ VIII.

Ius gentium Europaeum, duce *Henr. Wheaton (Éléments du droit international*, Lips. et Paris., 1848) exponet G. G. VREEDE, diebus martis et saturni, horâ X.

Ius criminale, tam *Batavum* quam *commune*, docebit G. G. VREEDE, diebus mercurii, iovis et veneris, horâ VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, diebus veneris et saturni, horâ I, die iovis, horâ X.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

Litteras Latinas A. VAN GOUDOEVER docebit, diebus martis, mercurii, iovis, veneris, horâ XI, interpretando Sallustii extremam *Belli Iugurthini* partem et Virgilii l. II. *Aeneidos*.

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, mercurii, iovis, veneris, horâ X.

Litteras Graecas docebit S. KARSTEN, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, horâ XII, interpretando Platonis *Phaedonem* et Aristophanis *Ranas*.

Antiquitatem Graecam S. KARSTEN, diebus mercurii et veneris, horâ IX.

Litteras Hebraicas tradet I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, cum interpretandâ *Grammaticâ*, tum *hujus* et *Syntaxeos* usu in legendis quibusdam V. F. capitibus historicis monstrando, diebus lunae, horâ I, martis, horâ II, mercurii, horâ X et II.

Litteras cum *Aramaeas*, tum *Arabicas*, I. C. Swyghuisen Groenewoud, die mercurii, horâ XII, et die iovis, horâ XI.

Antiquitatem Hebraicam I. C. Swyghuisen Groenewoud, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ IX.

Ceterum provectiorum commilitonum desideriis, quoad poterit, satisfaciet libentissime I. C. Swyghuisen Groenewoud.

Litteras Belgicas et litterarum Belgicarum Historiam exponet L. G. Visscher, diebus lunae, martis, veneris et saturni, horâ X.

Praecepta Stili bene Belgici L. G. Visscher, diebus martis, iovis et saturni, horâ II.

Historiam gentium antiquarum, praecipue *Romanorum*, enarrabit S. Karsten, diebus martis et iovis, horâ I.

Historiam medii aevi et recentiorum temporum I. Ackersdyck, diebus mercurii et veneris, horâ I.

Historiam Patriae L. G. Visscher, diebus lunae et martis, horâ XI, iovis, horâ X, saturni, horâ XI.

Logicen docebit C. G. Opzoomer, diebus iovis, veneris et saturni, horâ II.

Metaphysicen C. G. Opzoomer, diebus iovis, veneris et saturni, horâ I.

Historiam philosophiae veteris enarrabit S. Karsten, diebus lunae et iovis, horâ II, aliâve commodâ.

Historiam philosophiae recentioris ipsa philosophorum scripta explicando tradet C. G. Opzoomer, die mercurii, horâ X—XII.

Exercitationes Oratorias moderabitur A. van Goudoever, die saturni, horâ I.

Institutiones Paedagogicas habebit S. Karsten, die saturni, horâ XI et XII, partim *grammatica Graeca* explicanda, partim moderandâ interpretatione Aeschyli *Choëphororum* et *Satirarum* Iuvenalis.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus habendis, die saturni, horâ I, praeerunt A. van Goudoever et S. Karsten.

G. Dorn Seiffen, Litt. Hum. Lector, praecipua tam antiquarum quam recentiorum gentium historiae facta enarrabit, gentesque quod ad culturae progressus inter se comparabit, diebus mercurii et saturni, horâ XI, aliâve, commilitonibus magis commodâ.

IN FACULTATE MEDICA.

Anatomen docebit I. L. C. Schroeder van der Kolk, quater per dierum hebdomadem, horâ IV.

Physiologiam I. L. C. Schroeder van der Kolk, diebus lunae, martis et iovis, horâ VIII matutinâ, die mercurii, horâ IX.

Dissectionibus cadaverum anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeerit quotidie I. L. C. Schroeder van der Kolk.

Pathologiam exponet B. F. Suerman, quater per dierum hebdomadem, horâ IX.

Materiem Medicam et praecipua *Therapiae generalis* capita exponet G. I. Loncq, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ II.

Pharmaciam G. I. Mulder, die veneris, horâ X—XII.

Pharmacologiam et *Historiam plantarum medicinalium* tradet P. Harting, die iovis, horâ XI et veneris, horâ XII.

Anatomen generalem docebit et *Organorum fabricam subtiliorem normalem et morbosam* demonstrabit P. Harting, diebus mercurii et veneris, horâ I.

Nosologiam et Therapiam specialem G. I. Loncq, diebus martis, iovis et saturni, horâ IX.

Exercitationes Clinicas in arte Medica quotidie moderabitur G. I. Loncq, horâ XI, in Nosocomio Academico.

Theoriam artis Chirurgicae tradet B. F. Suerman, quater per dierum hebdomadem, horâ VIII.

Historiam Chirurgiae exponet B. F. Suerman, diebus et horis dein indicandis.

Biologiam generalem exponet F. C. Donders, die mercurii, horâ XI, die iovis, horâ X.

Ophthalmologiam, docebit F. C. Donders, diebus mercurii et saturni, horâ I.

Anthropologiam, praecipue ut iuris studiosis propaedeusis sit ad medicinam forensem, docebit F. C. Donders, diebus veneris et saturni, horâ X.

Medicinam forensem exponet F. C. Donders, inde a die III m. Septembris usque ad d. XV m. Februarii, diebus lunae, mercurii, iovis et veneris, horâ II.

Politiam medicam, inde a die XV m. Februarii usque ad ferias aestivas, diebus mercurii, iovis, veneris et saturni, horâ II, F. C. Donders.

Experimentis et *Indagationibus physiologicis* in laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. Donders.

Sectionibus cadaverum, in usum tum anatomico-pathologicum, tum medico-forensem, datâ occasione, praeerit quotidie F. C. Donders, horâ XII et dimidia.

Exercitationibus clinicis in arte chirurgica, et ophthalmiatricis, diebus lunae, mercurii et veneris horâ IX—XI, caeteris diebus horâ X praeerit L. C. van Goudoever.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. van Goudoever, diebus martis et iovis, horâ I.

Operationibus chirurgicis in cadavere instituendis qualibet oblata occasione B. F. Suerman et L. C. Goudoever.

Artis obstetriciae theoriam, morbos puerperarum et neonatorum exponet L. C. van Goudoever, diebus martis et iovis, horâ XII.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeerit L. C. van Goudoever, diebus lunae et veneris, horâ XII—II et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

I. I. Wolterbeek, quamvis munere suo defunctus sit, civibus tamen Academicis officia humanitatis praestare, praesertim Medicinae studiosis qualibet opportunitate prodesse, haud recusabit.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. van Rees, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, horâ I.

Mechanicam analyticam R. van Rees, diebus lunae, mercurii et veneris, horâ XI

Physicae mathematicae capita selecta R. van Rees, diebus martis et iovis, horâ XI.

Chemiam theoreticam G. I. Mulder, die lunae, horâ X.

Chemiam generalem et applicatam, tam organicam quam anorganicam, tradet G. I. Mulder, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, horâ IX.

Chemiam pathologicam G. I. Mulder, die veneris, horâ IX.

Chemiam analyticam G. I. Mulder, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, horâ XII.

Chemiam artibus adhibitam, necessariâ datâ opportunitate, docebit P. J. I. DE FREMERY, die martis, horâ pomeridianâ V—VIII.

Chemiam practicam G. I. MULDER, quotidie in Laboratorio Chemico.

Botanices et Physiologiae plantarum elementa exponet C. A. BERGSMA, diebus lunae, martis et mercurii, horâ XI.

Botanicam Historiam plantarum medicinalium C. A. BERGSMA, diebus lunae et martis, horâ XII.

Anatomiam plantarum C. A. BERGSMA, diebus et horis auditoribus commodis.

Oeconomiam ruralem C. A. BERGSMA, diebus mercurii et saturni, horâ XII, duce compendio suo: *Handb. voor de Vaderl. Huishoudk.*, ed. Trai. ad Rh. 1842.

Excursionibus Botanicis singulis hebdomadibus praeerit C. A. BERGSMA.

Zoölogiam TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, diebus lunae et martis, horâ X.

Anatomiam comparatam TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, die mercurii, horâ X.

Anatomen et *Physiologiam plantarum* docebit P. HARTING, diebus lunae et mercurii, horâ pomeridianâ II.

Exercitationibus in usu microscopii studiis zoötomicis, phytotomicis et chemicis applicato quotidie praeërit P. HARTING.

Astronomiam theoreticam et practicam quater per dierum hebdomadem tradet A. S. RUEB, Astronomiae Lector, diebus et horis auditoribus commodis.

Astronomiam popularem, bis per dierum hebdomadem, A. S. RUEB, diebus et horis auditoribus commodis.

Elementa matheseos docebit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus lunae, martis et veneris, horâ VIII, die saturni, horâ IX.

Stereometriam, *trigonometriam sphaericam* et *algebram* diebus mercurii, iovis et saturni, horâ VIII.

Algebrae superioris methodos explicabit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus et horis auditoribus commodis quater per dierum hebdomadem.

Geometriam descriptivam tradet C. H. BUYS BALLOT, diebus lunae et martis, horâ XII.

Geologiam docebit C. H. D. BUYS BALLOT, bis per dierum hebdomadem.

Encyclopaediae disciplinarum mathematicarum adumbrationem provectioribus discipulis exhibebit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus lunae, martis, iovis et veneris, horâ XI, ratione in primis habita earum Matheseos partium, quae antea minus fuse tractatae sunt.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

In Theologiam Naturalem, sive *Philosophiam de Deo*, cum commilitonibus inquiret H. Bouman, diebus iovis et veneris, horâ IX.

Historiam Ecclesiae Christianae recentiorem, duce *Compendio* suo *Hist. Eccl.* Vol. II. (Trai. 1844), enarrabit H. I. Royaards, diebus lunae, martis et iovis, horâ XII.

Ad *Archaeologiam Christianam* commilitonibus viam monstrabit H. I. Royaards, diebus iovis, horâ I.

Criticae sacrae quaestiones excutiet H. Bouman, diebus lunae, horâ IX.

Hermeneutices sacrae conspectum tradere perget H. Bouman, diebus martis, horâ IX.

Carmina Hebraica interpretabitur H. Bouman, diebus iovis et veneris, horâ X.

Epistolae ad Romanos partem dogmaticam ac minora quaedam *Paullina* explicabit H. Bouman, diebus lunae et martis, horâ X.

Theologiam dogmaticam tradet H. E. Vinke, diebus lunae, martis et iovis, horâ XI.

Collocutionibus *de Theologia Paullina*, cum commilitonibus habendis, vacabit H. E. Vinke, die veneris, horâ XII et I p. m.

Theologiam moralem Christianam docebit H. I. Royaards, diebus lunae, martis et mercurii, horâ I.

Repetitorio de *Ethica* Christiana, cum Theologiae Candidatis instituendo, vacabit H. I. Royaards, diebus mercurii, horâ II.

Theologiam pastoralem tradet H. E. Vinke, diebus martis, iovis et veneris, horâ VIII.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet H. E. Vinke, die veneris, horâ XI.

Commilitonibus, *orationes sacras* habentibus aderunt H. Bouman, H. I. Royaards et H. E. Vinke, diebus et horis, tum sibi, tum commilitonibus maxime commodis.

Publicis *disputandi* exercitationibus praeerunt alternatim, die mercurii, horâ I, H. Bouman, H. I. Royaards et H. E. Vinke.

J. H. Hisgen, litterarum Germanicarum Lector, diebus et horis auditoribus commodis, *Litteras Germanicas et Litterarum Germanicarum historiam, inde a sec. XVIII*, exponet.

J. Venning, litterarum Anglicarum Lector, *Litteras Anglicas* docebit, horâ auditoribus commodâ.

L. de France, Academicus Gladiatoriae artis Magister, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica diebus lunae, martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, ab horá XII in IV, feriarum autem tempore singulis diebus iovis, ab horá I ad III, unicuique patebit. Museum Zoologicum quotidie patebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

DIE 31 DECEMBRIS 1850.

In Facultate		Theologica	148.
〃	〃	Juridica	166.
〃	〃	Medica	43.
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	13.
〃	〃	Phil. Theor. et Litter. Hum.	11.
			381.

Praeterea in album academicum nomina studiosorum in diversis Athenaeis studiis operam navantium relata sunt, eo tantum consilio, ut hic examinentur et Doctores creantur, quorum

in Facultate		Theologica	4.
〃	〃	Juridica	15.
〃	〃	Medica	6.
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	0.
〃	〃	Phil. Theor. et Litter. Hum.	1.
			26.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

A DIE 21 M. MARTII 1850 AD DIEM 26 M. MARTII 1851,

RECTORE JACOBO LINTELO DE GEER.

IN FACULTATE JURIDICA.

d. 22 m. Mart. 1850. EDUARDUS DE RAS, Haganus, privatim defensis Thesibus, J. U. D.

〃 10 〃 April. 〃 FREDERICUS JACOBUS HENNEQUIN, Sluza-Zelandus, privatim defensis Thesibus, J. U. D.

〃 17 〃 〃 〃 JOHANNES THEODORUS BUYS, Amstelodamensis, defenso publice Specimine *de jure cogitata communicandi ex Juris communis principiis*, J. U. D. *magna cum laude.*

〃 2 〃 Maji 〃 STEPHANUS HENRICUS DE LA SABLONIÈRE, e pago Abcoude, privatim defensis Thesibus, J. U. D.

〃 4 〃 〃 〃 CHRISTIANUS PETRUS HENRICUS RAS, Rheno-Trajectinus, privatim defensis Thesibus, J. U. D.

〃 29 〃 〃 〃 JOHANNES THEODORUS MARINUS GODEFROY, Indo-Batavus, privatim defensis Thesibus, J. U. D.

〃 3 〃 Junii 〃 FREDERICUS HENRICUS VAN PERSYN, Koudekerka-Batavus, privatim defensis Thesibus, J. U. D. *magna cum laude.*

〃 7 〃 〃 〃 MEINARDUS TYDEMAN, Tielanus, privatim defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

〃 18 〃 〃 〃 JACOBUS VAN DER HEYDEN, Mosa-Trajectinus, privatim defensis Thesibus, J. U. D.

〃 21 〃 〃 〃 GERHARDUS THEODORUS HENRICUS HENNY, Zutphaniensis, privatim defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

〃 27 〃 〃 〃 THEODORUS HELENUS VAN REES, Zutphaniensis, privatim defensis Thesibus, J. U. D.

d. 11 m. Oct. 1850. ALBERTUS VAN DELDEN, Daventriensis, privatim defensis Thesibus, J. U. D. *magna cum laude.*

" 16 " " " EVERARDUS JANUS JACOBUS COLSON ABERSON, Doticomo-Gelrus, privatim defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

" 25 " " " JANUS GUILIELMUS STAATS EVERS, Arnhemiensis, privatim defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

" 29 " " " CASPARUS DE JONGE, Zierikzeeënsis, privatim defensis Thesibus, J. U. D.

" 20 " Jan. 1851. GEORGIUS FREDERICUS ESSERS, Samarango-Indus, publice defenso Specimine: *de modis acquirendi dominii originariis*, J. U. D. *magna cum laude.*

" 2 " Febr. " JOHANNES ARNOLDUS AEMILIUS GUILIELMUS VAN RAPPARD, Zutphaniensis, privatim defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

" 28 " " " LUDOVICUS ANNE THOOFT, Zutphaniensis, privatim defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

" 21 " Martii " JACOBUS CORNELIUS HUBERTUS CAROLUS LAAN, e pago Zuilen, privatim defensis Thesibus, J. U. D. *cum laude.*

" 24 " " " LEONARDUS EDUARDUS BOSCH, Rheno-Trajectinus, privatim defensis Thesibus, J. U. D.

" 25 " " " HENRICUS HOOFT GRAAFLAND, Bredanus, post privatam defensionem Speciminis: *de debitis publicis*, J. U. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

d. 23 m. April. 1850. JOHANNES WAGENER, e pago 't Waal, defensa Dissertatione: *de Jove Homerico*, Ph. Th. M. L. H. D. *magna cum laude.*

" 28 " " " EVERARDUS VAN VOORTHUYSEN, Amstelodamensis, publice defensa Dissertatione: *de Platonis doctrina de communione bonorum, mulierum et liberorum, in libris de Republica proposita*, Ph. Th. M. L. H. D. *magna cum laude.*

d. 12 m. Dec. 1850. Fredericus Petrus Jacobus Zibmacher Zynen, Zalt-Bommeliensis, privato defenso Specimine: *quo Plutarchi de nonnullis Chrysippi placitis judicium examinatur*, Ph. Th. M. L. H. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

d. 22 m. Mart. 1850. Cornelius Vermeulen, A. D. fil., e pago Grevelduin-Capelle, privatim defenso Specimine exhibente *casum congestionis cerebri cum apoplexia oculorum in Nosocomio academico observatam*, M. D.

〃 23 〃 April. 〃 Janus Guilielmus Reguerus Tilanus, privatum defensis Quaestionibus, Ch. D. *cum laude.*

〃 2 〃 Maji 〃 Johannes Jacobus Wolterson, Curassaviensis, privatim defenso Specimine: *de mutationibus in sano corpore sanguinis detractatione productis*, M. D. *magna cum laude.*

〃 7 〃 〃 〃 Balduinus Dithmarus Franciscus Huysman, Briellanus, privatim defensis Quaestionibus, A. O. D. *cum laude.*

〃 15 〃 〃 〃 Engbertus Oudenhoff, Amstelodamensis, privatim defensis Quaestionibus, A. O. D. *cum laude.*

〃 21 〃 〃 〃 Jacobus Delmonte Lyon, Surinamensis, privatim defensa Dissertatione exhibente *duos casus febris intermittentis comitatae*, M. D. *cum laude.*

〃 11 〃 Junii 〃 Engbertus Oudenhoff, Amstelodamensis, privatim defensis Quaestionibus, Ch. D. *cum laude.*

〃 18 〃 〃 〃 Petrus Fredericus Valkenhoff, e pago Soestdijk, privatim defensis Thesibus, A. O. D. *magna cum laude.*

〃 21 〃 〃 〃 Marinus Imans, Goudanus, privatim defensis Quaestionibus, Ch. D. *magna cum laude.*

〃 〃 〃 〃 〃 Govertus Adrianus Johannes Beckers, ex insula St. Martin in India occidentali, privatim defensis Quaestionibus, Ch. D. *magna cum laude.*

d. 29 m. Junii 1850. JOSEPHUS LUDOVICUS HUBERTUS HAERTEN, Amstelodamensis, privatim defensa Dissertatione, exhibente *Historiam Cholerae Asiaticae annis* 1848—1849, *dum Ultrajecti regnabat, in vico hujus urbis litt. C insignito, observatae*, M. D. *magna cum laude.*

〃 〃 〃 〃 〃 JOHANNES ELIZE MESTINGH, Hattemia-Gelrus, privatim defensis Quaestionibus, Ch. D. *cum laude.*

〃 16 〃 Nov. 〃 YSBRANDUS KEYZER, e pago Zevenhuizen, privatim defensis Quaestionibus, A. O. D. *cum laude.*

〃 7 〃 Dec. 〃 JACOBUS DELMONTE LYON, Surinamensis, privatim defensis Quaestionibus, A. O. D. *cum laude.*

〃 14 〃 〃 〃 JACOBUS PETRUS TAATS, Rheno-Trajectinus, privatim defensis Quaestionibus, A. O. D. *cum laude.*

〃 19 〃 Febr. 1851. JOHANNES CHRISTOPHORUS VAN EETEN, Gorinchemensis, privatim defensis Quaestionibus, A. O. D. *cum laude.*

〃 5 〃 Martii 〃 DANIEL GUALTHERUS WINKLER, Vianensis, privatim defensis Quaestionibus, A. O. D. *cum laude.*

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

d. 24 m. Junii 1850. ARIUS ADRIANI, Horna-Westfrisius, privatim defenso Specimine: *de Gutta percha et Caoutchouc*, Math. M. Ph. N. D.

〃 28 〃 〃 〃 JOHANNES RENATUS EUGENIUS VAN LAER, e pago Zeyst, privatim defensa Dissertatione: *de Rheni fluminis cum terris, quas perfluit sedimentorum commercio*, Math. M. Ph. N. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

d. 24 m. Mart. 1851. GUILIELMUS BERNARDUS JOHANNES VAN EYK, Rheno-Trajectinus, publice defensa Dissertatione: *de Jesus Christi eloquentia, Oratore sacro imitanda*, Theol. D. *magna cum laude.*

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS,

QUI,

INDE A D. X OCTOBRIS MDCCCL AD IX OCTOBRIS MDCCCLI,

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

FRANCISCUS ZACHARIAS ERMERINS.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

JACOBUS BAART DE LA FAILLE.

IN FACULTATE MEDICA.

A. A. SEBASTIAN (Emeritus).
J. BAART DE LA FAILLE.
F. Z. ERMERINS.
J. HISSINK JANSEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

TH. VAN SWINDEREN.
H. C. VAN HALL.
J. W. ERMERINS.
C. MULDER.
W. A. ENSCHEDÉ.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU.
W. MUURLING.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

F. C. de GREUVE.
J. A. C. ROVERS.
J. J. PH. VALETON.
J. A. C. van HEUSDE.
M. de VRIES.

IN FACULTATE JURIDICA.

H. NIENHUIS.
J. H. PHILIPSE.
C. STAR NUMAN.

LECTOR PAEDAGOGICES.

W. HECKER.

ORATIO

DE

PERPETUIS MATERIAE ET FORMAE IN VITA MUTABILITATE AC MOTU,

QUAM HABUIT

FRANCISCUS ZACHARIAS ERMERINS,

QUUM DIE IX OCTOBRIS CIƆIƆCCCLI

IN ACADEMIA GRONINGANA

MAGISTRATUM ANNUUM DEPONEBAT.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI! QUIQUE HIS AB ACTIS ES, VIR GRAVISSIME!

QUARUMLIBET ARTIUM AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, CONIUNCTISSIMI!

PAEDAGOGICES LECTOR ERUDITISSIME!

QUICUMQUE CETERUM SUO QUISQUE LOCO SPECTATISSIMI, BONARUM ARTIUM AMANTES, SOLENNIA NOSTRA VESTRA PRAESENTIA CONDECORATUM GONVENISTIS, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

STUDIOSORUM IUVENUM CORONA, SPES PATRIAE!

Est hic, quem vivimus, dies Academiae nostrae faustus ac festus; iubet autem patrium institutum illum celebrare oratione, quam ut haberem in illustrem hunc locum escendi. Et totum quidem annum, quo munus, quod successori iamiam traditurus sum, gessi, fere unice versatus sum in contemplatione vitae tum aliorum animantium, tum maxime hominis. Pulchrum sane spectaculum atque eximium! Quid enim magnificentius, vel mirabilius, quam perpetuus ille motus vitae, quem in animantibus cernimus mille ludentem formis, mille modis diversis; — in quo mutatio materiae non interrupta, quies eius nulla! Atque in maxima illa materiae ac motuum mutabilitate ipsius mutationis leges apparent certae et mira illorum in infinita varietate conspiratio. Quem non percellunt ista naturaene dicam an Dei opera? Quis tam excors ut talia intueatur, non simul intimo pectore commoveatur? Me certe ita commoverunt, ut laeto hoc die de rebus istis solennibus his nostris praeludere constituerim. Dignissimam enim putavi materiem, de qua verba facerem, illam vitae phaenomenorum

explicationem; itaque dicam *de perpetuis materiae et formae in vita mutabilitate ac motu.* — Rem adgredior non ita facilem! Iure quidem A. A. quisque vestrum a me postulat, ut argumentum, de quo acturum esse me profiteor, probe teneam; videri possit item iure postulare, ut verbis id ornare valeam; attamen hoc opus, hic labor est, praecipue cum multis coram sum dicturus, qui his studiis sese non dederunt et a quibus nihilominus intelligi cupio. Hanc sentio gravissimam fore difficultatem, quam non nisi humanitate et benevolentia vestra fretus superare posse mihi videor. Vos igitur, A. A. humanissimi! ore animisque favete.

Universe spectatam animalium vitam multifaria ratione se prodere, palam est. Eius *φαινόμενα* in materie apparent organica, quae forma certa plerumque est praedita; — actione multiplice manifestantur; — periodis certis oriuntur, explicantur, contrahuntur, finiuntur. Non in una aliqua magna materiae mole cernuntur, sed in multitudine corporum innumerabili, quae cum aliis rebus, tum maxime magnitudine et forma externa plurimum inter se discrepant. Nec vero in singulis ista forma et magnitudo una eademque est per omne, quod vivunt, tempus; sed e simplicioribus formis et plerumque minutissimis magis compositae formae evolvuntur una cum incremento molis totius. Materia aliunde accedere debet, ut primordia animantium evolvantur; non nascitur in ipsis, sed e corpore materno aut rebus extra positis hauritur, attrahitur. Neque attractio tantum materiae fit, sed etiam repulsio; a quarum inter se aequilibrio aut differentia corporum sustentatio pendet, — pendent quoque eorundem incrementum ac decrementum. Inter materiam vero illam et formam nexum certum esse debere e rerum vita non praeditarum cum corporibus viventibus comparatione coniicimus; nec tamen novimus quonam aut quali vinculo inter se contineantur. Magnum sane damnum ea ignoratio nostrae cognitioni adfert; necdum tamen has tenebras discutere cuiquam mortalium contigit. Quantum enim est, quod nescimus!

Sicuti autem maxima est diversitas in formis specierum et animantium singulorum, ita non minor apparet in forma partium singularum, e quibus sunt composita et quae singulae suis sunt praeditae facultatibus et actione, cui sunt destinatae. Itaque multae numero sunt istae actiones vitales; distingui autem solent ab eruditis secundum finem, quem spectant, teleo-

logice scilicet, sumunturque ordines earum summi tres: prouti in sustentationem corporum singulorum intenduntur, vel in horum cum rebus extra positis connexionem, vel tandem in specierum conservationem. Quippe hac lege vivunt animantia, ut perpetuum singulorum interitum resarciat novorum proventus et ut in sempiterno individuorum fluxu non alia ratione conservetur species, quam in continuo materiae fluxu individua ipsa conservantur, donec moriantur.

Praemonui haec de vita universe, ut paululum iam descenderem ad singulos phaenomenorum vitalium ordines. Neque enim perpetuum illum vitae motum explicare possim, nisi ipsius specie universa paucis antea lineamentis adumbrata. Est autem vitae species in aliis aliisque animantibus simplicior, vel magis composita. In iis vero, in quibus maxime composita est, fere cernuntur iidem phaenomenorum ordines, qui in aliis illis observantur, contraque in his deficiunt, qui in organismis altiorum classium apparent. In homine vero omnium maxime explicata vita est, nec sine iure eum huius orbis appellaverunt epitomen ac Regem. Agite igitur, contemplemur in homine et in iis, quae proxime ab eo absunt, animantibus vitae, de qua dicimus, speciem!

E materno corpore provenit primordium animantis, quod in mammalibus adeo minutum est, ut armato oculo fere observari debeat. Accedit a mare quod ovulum foecundet. Hinc prima incrementi origo! Sed quid est illud, quod crescere vocamus? Vulgus nihil esse putat, nisi e parvo magnum fieri; existimat idem esse atque eadem servata forma mole augeri, ita ut e parvulo animante fiat multo maius quid. At longe secus est! Quin facile quisque videt rem ita non se habere, si dixero in ovulo recens foecundato ne vestigium quidem apparere nec partium futurarum, nec formae futurae. Quid igitur? E simplicium vesicularum minutissimarum, — cellulas appellare solemus, — coniunctione strata formantur primum fere plana, e quorum uno cum systemate nerveo efformantur partes externae, quae praesertim formam animanti certam praebebunt in posterum, dum in altero evolvuntur vasa sanguifera et e tertio viscera interna. Intelligitis quanta mutatio formae contingere debeat, ut e planis illis membranulis omnia ea organa formentur, quae in adultis animantibus conspicimus.

Ita fit ut singulae partes evolvi coeptae certam consecutionem formarum

20

diversarum referant, antequam stabilior illa, quam evolutionem perfectam appellare sunt soliti, oculis sese obfert. Neque ita tantum fiunt istae mutationes, ut uniuscuiusque partis formae diversae sibique succedentes observentur, sed ut certis huius evolutionis periodis etiam reperiantur partes, quae postea intereant, aut in quarum locum etiam postea partim aliae succrescant; — reperiantur aliae, quae antea absentes seriore demum periodo vitae foetus excrescant. Neque in forma solum mutatio contingit, sed etiam in situ partium et in earum secum invicem coniunctione. Quippe partes internae, ut summatim dicam, prius conformantur quam externae et symmetrica in utroque corporis latere forma harum partium externarum separatim a dextra et sinistra cum ab anteriore, tum a posteriore versus partem mediam progreditur, ubi tandem sibi obviam factae connectuntur.

Et haec quidem sufficiant ad levem primae horum animantium conformationis adumbrationem. Intellexistis autem me de externa formae mutatione locutum esse et de integrorum organorum sorte in hac omnium permutatione. At orsus eram a parvis illis vesiculis, quae organorum omnium sunt primordia. Hae ipsae quoque et multiplicantur et forma mutantur; nam in partibus diversis, quae nascuntur, particulae minutissimae observantur et a primae illius membranulae elementis organicis diversae, et inter se discrepantes. Unde tuto conficimus materiam novam esse attractam et in cyclum devenisse actionis virium, quae in primordiis illis latent et augentur et evolvuntur una cum materie nova superaddita. Sed constat simul ipsam illam, quae advehitur, materiem esse debere admodum mutabilem; — esse debere eius cohaesionem perexiguam chemicumque vinculum, quo eius particulae continentur, admodum tenue. — Quippe parvae illae organismi futuri aut fieri coepti partes et particulae ceteroquin non potuissent eam sibi submittere et in novas transmutare formas. Scilicet id, puto, intellexistis ex iis, quae attuli, organismorum illam evolutionem, illud crescere, esse veram eorum *μεταμόρφωσιν*, cuius *φαινόμενα* externa conspicimus, sed cuius rationem veram ignoramus, quum nexus inter materiem et formam, uti supra dixi, prorsus non latet. „Et hic sunt Dii!"

Organismi mutationes, de quibus hucusque sum locutus, in illis, quae iam respicimus, animantibus contingunt, antequam e gremio materno foras prodeunt. E corpore matris ab illis hauritur alimentum, idque licet iam

praedita sint organis, quorum ope sanguis, unde partes formantur et formatae mole augentur, per totum corpus diffunditur. Non recta tamen sanguis maternus ad novum animans advehitur, sed utriusque, èt matris èt foetus, sanguis suis conclusus est vasis a se invicem separatis, sed quorum parietes sunt contigui, ita ut non nisi per has membranulas permeent particulae maxime mobiles huius fluidi et ut haec non quidem unica fortasse, sed praecipua sane via sit, qua foetus materiem accipiat, unde crescat.

Longe differt ab hac alimentum accipiendi ratione et via ea, quae postea animanti in lucem edito competit. Rem obiter inspicienti videtur materies, e qua animalium corpora formata sunt, non magnopere mutari. Novas particulas prima aetate accedere debere, ut adolescant et donec adoleverint, facile quisque videt; modus tamen et via, quibus iste materiae accessus fiat, non sunt nota plerisque, nisi quatenus cibum et potum animantia capere solent. Sed ceterum in forma et materie corporis non tantae contingunt mutationes, ut in perpetuae earum mutabilitatis cogitationem incidant. Quamquam rem accuratius perpendenti certissimum est, nullam esse intercapedinem, qua non evadat e corpore materies, nec nova accedat. Diligens observatio docuit formas organicas novas semper oriri intereuntibus vetustioribus. Et quod ad materiae permutationem attinet, ne semel quidem spiritum ducimus, quin ex aëre atmosphaerico particulae cum nostro sanguine coniungantur aliaeque ab eo recedant. Quin ne per temporis quidem intervallum, quod inter inspirationem et exspirationem est intermedium, aut ipso temporis articulo, quo auram haurimus, vel emittimus, iste materiae motus quiescit, sive vigilemus, sive dormiamus. Et quemadmodum haec in pulmonibus contingunt, ita quoque fiunt trans cutem.

Videri possit alio modo res comparata esse cum iis, quae per os ingeruntur, quia non sine aliqua intermissione vel voracissima animalia cibum et potum capiunt. Hanc igitur rem paulo intensius persequamur. Modo locutus sum de organis, quorum ope vescimur aura, quaeque viae sint, per quas continenter materies e corpore secedat. Non sunt hae unicae viae isti fini destinatae. Eliminantur e corpore residua ciborum, quod quid significet mox apparebit, et praeterea ab organorum internorum superficie, perinde atque ab externo corporis integumento, particulae abscedunt

solidae, organica forma plerumque adhuc praeditae; aliaeque evadunt e corpore humoribus solutae. Itaque evehitur tum forma fluidi elastici et vaporis, tum forma liquida, denique solida etiam substantia, quae aliquamdiu pars fuit corporum animautium. Et haec quidem repulsio illa materiae est, cuius initio sermonis mentionem feci et cui opposita est eius attractio, quae fiat necesse est, ut moles corporum dum adolescunt augeatur et adultis conservetur, quam partim in pulmonibus, vel quaecumque alia sunt organa respirationi dicata, fieri dixi, et de cuius ratione in partibus praesertim huic rei destinatis iam paucis videndum est.

Qui secum reputat quae de materiae ab organismo repulsione dixi et simul tenet, quod statim a me est monitum, materiem in animantibus non gigni, sed forinsecus invehi, sponte intelligit eas res, quae pro cibo ac potu sumuntur, partim certe mutari debere in particulas illas longe inter se diversas, e quibus animalium corpora sunt composita. Verum antequam res eo devenit, cibus ille mutatus in sanguinem inferri debet, quippe e quo liquore omnium organorum tandem instauratio fieri debet et qui, quod magni in hac re momenti est, vasis continetur undique clausis, sed quorum extremi fines adeo sunt tenues, ut non nisi armato oculo conspici queant et qui per corpus eiusque partes paene omnes distribuuntur et subtilissimo pariete limitantur. Iam vero, uti supra dixi viam rectam non esse a vasis sanguiferis matris ad eadem in foetu organa, ita quoque non est a ventriculo et intestinis ad vasa, quae sanguinem et lympham vehunt; sed transitus novae materiae fieri debet per membranulas tenuissimas tum tubi intestinalis, tum vasorum illorum. Unde duo eaque gravissima legitimo ratiocinio deduxeris, primum materies illas, quae in corpora animantium invehuntur, haud raro magnas subire debere mutationes, — tum necessario requiri magnam particularum minutissimarum mobilitatem et tenuitatem, ut in sanguinem trans vasculorum parietes transire valeant.

Animantia diversissimas res appetunt, quibus vescuntur. Formam si respicias, sunt maximam partem solida vel fluida. Quae solida ingeruntur comminui debent et solvi succis, cum quibus in organis digestionis miscentur, sive statim solvantur, sive chemicae mutationes provocentur, quae corpora antea non solubilia ut solvi tandem possint efficiunt, quia ceteroquin in vasorum genus utrumque ingeri non possunt. Ista comminutione

et solutione novas facultates non acquirunt, sed particulae magis mobiles tantum redduntur; universeque tenendum est nullam materiem ingeri, quin suas proprietates omnes intus in corpore animantium sibi servet. Mutationes igitur, quas subeunt, nascuntur e coniuncta actione virium, quae ingestis ipsis competunt, tum succis, qui ad eorum solutionem et mutationem chemicam in tubum intestinorum effunduntur, denique quae sedem habent in membranulis, per quas permeant, et in sanguine ipso, vel certe huius particulis, quae eas attingunt. Qui singularum, quas enumeravi, mutationis causarum effectus sint, in omnibus distinguere ac persequi, non valemus, quin potius in paucis tantum de hac re iudicium ferre licet. Sed iterum duo summique illa momenti hic tenenda sunt: mutationes chemicas, quae extra organismos per intensum calorem et per fortium potentiarum chemicarum actionem contingunt, in his ipsis accidere non posse, quia medium aliquem caloris gradum corpus animantium tantum et fert et habet; et quia potentiae illae chemicae vehementiores, si organismo continerentur, nexum chemicum et organicum eius elementorum destruerent et nervorum actionem prorsus perturbarent. Atque ita fit, ut maximam partem illae tantum materies, quae, utpote ipsae organicae originis, particulas minimas prae ceteris mobiliores habent, pro alimento esse possint. Cum qua re arcte coniuncta est generalis illa animantium in herbivora, carnivora et omnivora distinctio, quae dudum ex observatione nata est, antequam experimentis artificiosis constitit de summis illis principiis, e quibus ingestorum indolem et mutationes hodie diiudicamus.

Rem hoc modo spectans fere in opinionem induceris mutationes materiarum ingestarum esse tantum physicas et chemicas. Neque ego sane infitias ibo elementorum motu qualicumque illas mutationes niti. Sed oriuntur hic brevi formae organicae, quae ad sanguinem et lympham tantum pertinent, neque quidquam commune habent cum iis, quae postea ad organorum instaurationem e sanguine nascuntur, nisi forte dissolutarum materia ad harum formationem confert. — Quid velim, magis aperte significabo: — ex intestinis in vasa sanguinem et lympham vehentia statim infertur materia partim omnino non, partim tum physice tum chemice mutata; sed dein in utroque vasorum genere cernuntur formae illae, quas corpuscula lymphae et sanguinis appellare consuevimus. At certo constat

hac, qua vivimus, doctrinarum physicarum conditione, solidas sanguinis particulas e vasis, ut partes nutriantur, egredi non posse. Quid igitur? Inter digestionem, quae praeparatio est materiae ingestae, ut in vasa transire possit, et nutritionem, quae transitus est particularum fluidarum sanguinis in materiem corporis solidam, intermediae sunt formae organicae, quae ulteriorem metamorphosin non patiuntur et quas paene testimonio esse dixerim quam manca sit nostra horum materiae motuum cognitio. Quid enim? modum, quo nascantur, ut in reliquis, ignoramus; — ubi oriantur, incertum est; interire eas debere pro certo habemus, — sed ubi locorum et quo modo dissolvantur iterum dubium nec demonstratum est! Utque summatim dicam, omnium illarum mutationum compositionis et formae, quas materies invectae subeunt, prima tantum initia ultimique fines quodammodo innotuerunt. Id autem certum est e materiis ingestis alias nequaquam solvi et sine mutatione praevia ex organismo evehi, — alias solvi quidem, sed a corporis materie non attrahi, itaque item foras evehi, licet aliis viis id fiat, quam quibus priores illae removentur, — alias denique esse, quae et solvuntur et modis pluribus in locum vetustiorum organismi particularum succedunt; quamquam forte ne omnibus quidem his ista sors communis est, sed diverso modo cum illis agitur pro copiae et temporis, quibus ingeruntur, diversitate.

Sed redeundum est unde eram digressus, ad perpetuam illam mutationem materiae in organismo. Facile nempe intelligimus seriem illam mutationum, quae inter ciborum et potuum ingestionem et nutritionem est intermedia, non uno fieri temporis articulo, sed per tractum eius longiorem, breviorem: nec metiendum esse tempus, quod his mutationibus impenditur, parvis illis eius intervallis, quibus pleraque animantia cibum ac potum capiunt. Itaque in his actionibus vitalibus de materiae mutatione, quae sensim fiat, neque unquam quiescat, ultro constat. Quodsi quaeratis quae materies praecipue tantam particulis minimis praebeat mobilitatem, magnam partem esse aquam certissimum habetote! Hinc quidem de huius materiae in corporibus animantium utilitate iudicare poteritis.

Locutus sum hactenus de motu particularum, qui in speciei conservationem et animantium singulorum nutritionem intenditur. Quam quidem rem non enucleate exposui; quis enim id a me hac hora et loco hoc

exspectaverit? Neque vero possim prae temporis augustiis. Id tantum significare et summis quibusdam veluti typis notare volui, materiae et formae motum esse perpetuum in organismorum formatione et nutritione. Non sunt tamen hi soli, quibus vita manifestatur, modi. Itaque pergo et de reliquis modis principibus item aliquid dicam, sicuti in corpore iam formato contingunt. Fingemus ita quietem illius, quam supra contemplati sumus, metamorphoseos. Nec tamen datur ista quies in rerum natura ipsa, sed una cum phaenomenis, de quibus antea monui, oriuntur ea, de quibus iamiam sum dicturus, quod semper tenere debet qui rectam vitae eiusque motus notionem menti sibi informare cupit.

Summi modi, quibus porro vita manifestatur, sunt duo: motus et sensus. Non amplius spectamus nunc eum motum, qui ad materiae aut formae mutationem pertinet, sed motum partium iam natarum, qualicumque modo ortum et quemcumque in finem factum. Sensum autem volo latissimo vocis significatu, qui conscio animante est vel non conscio, — qui apparet tum in ipso illo, quod sentire vocamus, tum in visu, auditu, olfactu, gustu, quippe quae omnia non nisi modi formaeve peculiares sunt sensus.

Sed cum ita distinguo inter phaenomena sensus et motus, statim monere debeo, non ita id esse accipiendum, quasi motum a sensu excludi arbitrer. Quin potius fatendum est sensum ipsum non nisi formam quamdam esse motus, et motu partium sentientium sublato ipsum sensum in iis fingi non amplius posse. Quod nonnullis quidem forte *παράδοξον* erit, ita ut quid mecum cogitem declarandum esse sentiam.

Sensum organi dicimus eam illius facultatem, qua rei qualiscumque actionem percipiat. Potest vero in homine, ut ipsi nobis exemplo simus, perceptio ad conscientiam eius transferri vel non transferri. Illud si fiat, mutatio, quae in organo contingit, a nobis sentitur, uti dicere solemus, atque ita igitur nobis fit manifesta; hoc vero si fiat, perceptio, quae in organo contingit, non apparet, nisi in mutatione conditionis organi, quae mutatio non recta, sed interveniente alio phaenomeno, quod ad conscientiam nostri transfertur, tandem nobis fit manifesta. Priore ista ratione igitur unusquisque percipit rem, quae in organon agit, seu potius percipit mutationem, quae ex actione illius rei in organo contingit; posteriore vero non nisi ratiocinando deducimus ex aliis phaenomenis notionem mutationis,

quam in organo facit res, quae in illud agit. Sed in utroque sensus modo quaestio semper eo redit, ut videndum sit, num res percipi possint sine mutatione qualicumque partis sentientis, necne. Contendo autem sine aliqua mutatione sensum esse non posse, vel certe non esse posse perceptionem, si sensum facultatem appelles, perceptionem facultatis actionem. Verum quis sibi finget mutationem sine motu? Itaque sensui sine mobilitate particularum organorum sentientium, perceptioni sine vero earundem motu locus esse nequit; adeo ut, quod dicere coeperam, sensus vulgari vocis significatu non sit nisi peculiaris ipsius motus forma.

Sed pergendum est et de motu et de sensu, quos, ne argutias sectari velle videar, e vulgaris sermonis usu solito modo distinguam, agendum.

Qui in organismo contingunt, aut per eum eiusve partes et particulas fiunt motus, non omnes eiusdem sunt indolis, ab unove fonte profluunt. Nec tamen negligendum, in infinita illa motuum diversitate, si rem recte reputas, illorum perpauca tantum esse genera summa, quae oriantur a causis, quas hac certe doctrinarum physicarum conditione distinguere debemus. Sunt quidem universe spectati motus in organismo physici aut vitales. Physicos nunc dico, qui non in solis fiunt corporibus viventibus, sed etiam in materia vita non praedita: vitales his oppono, qui maxime animantibus, quae nunc praecipue spectamus, aut certe corporibus organicis, si latius vim vocis extendere lubeat, sunt proprii.

Et e physicis illis motibus primum iam menti obversatur ille, qui a Brownio nomen habet et quo, si armato oculo attendas, minutas particulas ire, redire, circumire vides, fere ac si animantium instar voluntate essent praeditae. Quem motum tamen, ut qui in particulis rerum vita destitutarum etiam observetur, iure a vita non pendere arbitramur. Quin equidem nnm in ipsa vita re vera in animantibus eum fieri sit evictum, dubito, licet ad motus, qui in organismis contingunt, fere referri hodie soleat. Sed procul dubio motus in iis sunt physici, omnes illi fere semper contingentes et sine ulla intermissione, qui debentur materiae eorum gravitati, elasticitati, expansioni et contractioni propter gradum caloris maiorem, minorem, cohaesionem fortiorem, debiliorem. Pertinent huc motus omnes qui ab organis vivis humoribus viventibus quidem, sed spontaneo tamen motu destitutis traduntur, in quibus principem tenet locum sanguinis in

corporibus circuitus. Pertinent huc motus illi subtilissimi, quibus diversae auris oculique partes feruntur, ut nervus tandem auditorius et opticus excitetur ad lucis et sonorum perceptionem. Sed quis finem inveniat enumerationis, si omnia recensere velit?

Motus autem vere vitales si respiciamus, duo praecipue sese obferunt, quorum alter latius patet altero, licet uterque et multum observetur neque unquam sileat. Alter horum in superficie membranarum partes internas obvestientium apparet, neque unquam in vita quiescere videtur, quamdiu et ubicumque organa ea minuta, a quibus pendet, adsunt. Nempe in superficie illarum partium, quas respicio, et e quibus nares et organa respirationis exempli gratia excito, parvae vesiculae apparent, quae non nisi oculo armato cernuntur, — cellulae sunt filamentis valde exilibus praeditae, — cilia vocari solent, — quae semper in motu sunt, non secus ac segetes agitantur vento, et eam sane vim habent, ut minutas particulas proiicere valeant, ubi has attingit perpetuus illorum ciliorum motus, qui singulis locis, ubi fit, certam in partem dirigitur. Quid sit, quod cilia illa ut ita moveantur faciat, nescimus; sed vim habere illum motum in promotionem materiarum eiusmodi superficies ciliis praeditas contegentium, unusquisque videt.

Alterum motus vere vitalis genus cernitur in organis illis, quae musculi et fibrae contractiles fere dicuntur. Ipsum motum si tantum respiciamus, forma una est et simplicissima. In parvulis harum partium moleculis insidet facultas dispositionem suam ita mutandi, ut unum fibrae extremum ad alterum adducatur. Interveniente systemate nerveo illa facultas praecipue ad agendum impellitur et maxima hic diversitas est pro imperio voluntatis in nervos, qui illas fibras dominorum instar regunt, quum in alterum ordinem illud imperium sit absolutum, in alterum nullum. Sed haec verbo notare tantum volui; redeo ad ipsum motum, quemadmodum in rerum natura omnibus apparet. Hoc scilicet principio nituntur effectus diversissimi. Hinc multiplex pendet manus hominis ad artes nati motus; hinc vox et loquela; — hinc lenes motus, sub quibus mater infantem suum in sinu fovet, et vehementes illi, quibus grandia carnivora praedam corripiunt et laniant et devorant; hinc volatus avicularum minutissimarum, et magna vis, qua immania cete per maria velocissime feruntur; hinc

placidus lineamentorum vultus serena fronte in subridendo motus; hinc vehemens ille, quo homo miser convulsionibus agitatus valida musculorum contractione sua ipsius ossa diffringit. Sed rursum subsisto in enumeratione varietatis infinitae phaenomenorum, quum dicendo materiem exhaurire haud equidem possim. At dicturum me esse sum professus de perpetuo organismi motu, — et in iis, quos enumeravi, quies saltem datur! Concedo equidem, sed numquam silet motus cordis, quo sanguis in ima viscerum penetralia et in extremam corporis superficiem propellitur! Numquam quiescit musculorum motus, quo thoracis parietes in respiratione sublevantur! Quocumque igitur in organismo circumspicias motui locus est ex ipso, de quo dico, fonte demananti et qui numquam cesset.

Sed propero ad finem eorum, quae tractanda mihi sumsi: superest enim ut de sensu dicam, cuius nervi ministri sunt et quem per hos ipsos cum motu arcte cohaerere e supra dictis iam patuit. Uterque vero in altioris ordinis animantibus maximeque in homine cum psyche eiusque organo et actionibus arctissimo nexu copulatur. Hic sane latissimus omnium campus nostrae contemplationi patet. Verum aliquid certe praemonendum esse sentio de ipsis, quibus functiones hae mandatae sunt, organis, ne plerisque vestrûm non intelligibilia proferam.

A cerebro et medulla spinali emittuntur, ut ita dicam, quaquavorsum filamenta nervea et contra fere undique e corporis partibus extra utrumque magnum instrumentum nerveum sitis ad hoc ipsum filamenta eiusmodi revertuntur. Ita quidem nexus continuus est inter encephalum et partes reliquas, et quum cerebrum et medulla eum habent situm, ut inter fibrillas nerveas inde exeuntes easque, quae a reliquis partibus eodem redeunt, sint intermedia, has partes centra vocamus systematis nervorum, fere similiter ac cor appellamus circulationis sanguinis centrum, quia inter arterias inde proficiscentes et venas eo revertentes est intermedium. Hoc quidem totum, quod brevissime descripsi, systema nerveum vitae animalis esse dicitur, quia quasi praesidet iis functionibus, quibus animantia maxime a plantis distinguuntur: motui putate a voluntate pendenti, sensui, qui ad psychen rerum perceptionem transfert, — psychicis ipsis tandem actionibus. Illud systema nervorum vitae animalis in organismo animantium altiorum ordinum non est unicum, sed illi opponimus systema nervi sympathici,

in quo centralium organorum, unde nervi exeunt, multo maior est numerus, sed talium, quae magnitudine et structura et functione cum cerebro comparari minime possunt. Vocantur ganglia ista centra, nec deficiunt talia organa prorsus in alterius generis nervis. Hinc autem nomina systematis nervorum gangliorum vel nervorum vitae vegetativae, quia hi nervi maxime praesunt illis animantium actionibus vitalibus, quae item apparent in plantis: materiae scilicet forinsecus invectae elaborationi, nutritioni, succorum provectioni. Non prorsus alterum ab altero separata esse putantur ista nervorum systemata; sed posterius a prius memorato, itemque ab huius gangliis filamenta accipere constat. — En simplicem ac brevem horum organorum descriptionem! Addam quae de actione necessario sciri debent, ut quam mobilis et sine quiete materies sit in his organis intelligatur. E nervis vitae animalis ii, qui a reliquis partibus versus centra tendunt, sensui praesunt et quasi nuncii sunt conditionis partium reliquarum ad psyches organon; alii illi, qui a cerebro ad organa motus tendunt, illius quasi mandata ad haec transferunt et ita ad motum ea excitant. De cerebro quod psyches organon sit, conscientiae nostri et actionum mentalium sede, iam supra aliquid dixi, itemque de actione nervorum vitae vegetativae, quorum affectiones ad sensorium commune transferri non solent. Itaque iam pergo.

Cum modo de motu et sensu agere coeperam, statim monui, me illum ab hoc non excludere, cuius rei rationem tunc exposui. Forte melius etiam illa intelligentur, si quae iam dicturus sum audiveritis.

Ponamus nervum sensui destinatum ad cerebrum tendentem a peripheria eo, quem sumimus, temporis articulo peculiarem transmittere perceptionem nullam. Non quidem prorsus sine ulla actione est, quum eius conditio profluat a conditione partium sanarum, unde ad cerebrum pergit, sed quum aliquamdiu aliam perceptionem tradat nullam, sumere licet quietem eius molecularum; motus saltem vix demonstrari poterit. Verum ecce! impingit pars, unde exit, — digitus exemplo sit, — in corpus praeacutum; — dolor percipitur. Itaque mutata conditione partis, unde nervus procedit, huius ipsius conditio mutatur, quae mutatio tradi pergit per totum eius tractum et ad cerebrum transfertur, cuius tandem motu doloris notio in psyche nascitur. Sed simul ac nascitur iste sensus doloris, in

organorum centralium materie iterum mutatio contingit, quae transfertur ad nervos motui famulantes; nam nervi illi, qui antea quiescebant, nunc ad agendum impellunt musculos, quorum contractione retrahitur manus; — quem impulsum ad motum his tradere non potuissent, nisi conditione sua mutata. In his omnibus igitur iterum materiae motus est, qui qualis sit ignoratur, quia nemo iudicare potuit indolem eius mutationis, quae in nervis dum sentiunt, vel ad motum impellunt accidit; sed de cuius velocitate ipsi statim iudicare poteritis, cum reputaveritis omnia illa, quae enarravi, consecutione tam celeri contingere, ut uno temporis articulo rem non perpendenti fieri videantur.

Verum ecce! his primum positis iterum pergo! Sumamus unum eundemque in nervis motum esse, quo musculos ad agendum impellunt, — neque enim causam video, cur plura eius genera sumamus, — at infinitae erunt diversitates tum loci, tum vehementiae aut lenitatis. Mox hunc, mox alium musculum, aut musculorum congeriem ad contractionem impellimus; — modo loquelam, modo artificia quaelibet cogitetis; et vero singulorum, quos ita voluntate regimus musculorum, ideoque nervorum ad eos tendentium, motus excitatur mox lenior, mox vehementior. Sed sensus, si spatium respiciamus, non minus late per corpus patet, quam motionis facultas; at hic longe aliud quid accidit! Tactus enim alius est corporis frigidi, et calidi, levis et asperi, diversorumque harum *ποιοτήτων* modorum et graduum; — quin dolorum intus ortorum genera plura sunt, unde nomina doloris secantis, pungentis, urentis, qui iterum intendi minuique possunt. Quomodocumque iam nobis rem fingamus, sive putemus in hisce motus esse generis diversi, — sive unum tantum motus genus, sed cuius effectus diversitatem quaeramus in vehementia maiore minore, vel in plurium pauciorumve fibrillarum nervorum affectione, vel in utroque, — at in cerebro certe tot diversae conditiones qualescumque e rebus illis oriri debent, quot *ποιότητας* harum perceptionum distinguimus. Eandemque ratiocinationem si transferamus ad sensuum organa, — ad imaguneulam retinae traditam, ad sonorum qualiumcumque perceptionem, videte quam oriantur inde motus perpetuo varii, tum in nervis sensuum, tum in ipso encephalo! Et quam multi sint numero magis etiam perspicitur, si reputemus et sensum universum et eum, qui in visu, auditu, olfactu, gustu

est, non solum excitari a rebus extra corpus positis, sed saepe etiam ab intus in corpore latentibus; quod vel somnia probare putamus. — Quid dicam tandem de motu subtili, qui in cerebro comes vel origo esse videtur cogitationum nostrarum et voluntatis actionis et animi motuum? Non dicam de his quidquam, quum res physice sumta sit incognita et id unum tantum verosimile sit, motum materiae harum actionum et affectuum psyches esse vel sequelam, vel causam, forte etiam pro diversa conditione utramque.

En! A. A. humanissimi! brevem exhibui conspectum motuum materiae et formae, qui in animantibus fiunt. Intellexistis, spero, quam compositum sit phaenomenon, quod una vocula *vivere* vocamus, quam sint numquam non in eo motus longe diversissimi. Hae autem mutationes et motus hi multiplices nisi omnes, at plerique saltem singulis temporis articulis, quorum series vitae periodos diversas eiusque decursum totum facit, simul contingunt; — nec tamen horum omnium est confusio aut perturbatio in ea organismi integritate, quam sanitatem vocamus, sed omnium conspiratio et consensus et harmonia!

Quasi pagellam inspeximus magni illius operis, quod naturam appellamus. Sunt qui naturae interpretationem cum librorum explicatione conferunt. Utriusque rei intelligentiae illius, quod vixi, temporis haud parvam partem impendi, sive diligentius, sive negligentius, quod festo hoc die non quaeritis, in his sim versatus! In utraque re difficultates obviam venire, quis negabit? In librorum tamen interpretatione et intelligentia hominem ipsum semper agnoscimus, cuius facultates nobis libros legentibus cum auctoribus eos scribentibus sunt communes, ita ut talia opera nostri ingenioli modulo fere censere liceat. In rerum vero naturae contemplatione librum legimus non hominis manu scriptum, — sed cuius quotquot loci innotescunt et intelliguntur, — sunt autem hi perpauci, — omnes artificium testantur tantum, ut ultro auctoris huius libri admiratione abripiamur; — ambitum vero operis si cogitemus, aut locorum singulorum nexum et originem, ultro fateamur nos impares esse illi amplectendo et explicando. Hac in re igitur naturam intelligere cupienti fere idem accidit, quod veterum scriptorum fragmenta recensenti. Nam quemadmodum hic e paucorum locorum servatorum et collectorum pulchritudine universi, cuius partes sunt, operis

praestantiam aut coniicit, aut diiudicat, ita naturae scrutator e paucis illis locis, qui e naturae libro ad suam notitiam pervenerunt, coniicit quam eximium esse debeat opus totum, cuius fragmenta tantum conspicere ipsi conceditur. Hoc discriminis interest, quod ille fragmenta considerat operis caduci, mortalis, cuius pleraeque partes interierunt; — hic operis integri, perpetui et sempiterni. Utinam aliquando melius et penitius id cognoscere nobis omnibus largiatur summus rerum omnium opifex!

Transeo iam ad alteram officii mei partem, ut recolam, quae academiae Groninganae contigerint tum prospera, tum adversa. Ac fuit omnino primus ille annus, quo novum templum academicum *usu*, uti in nummo est, *splendere* coepit, pluribus casibus tum laetis, tum tristibus insignis.

Hoc quidem primum laetamur, augustissimi Regis personam ac domum hoc anno salvam esse servatam et incolumen. Quin pars doloris e superioris anni clade suscepti compensata videtur gaudio de filiolo nuper nato et fortunato eventu, quo Regina ad pristinam sanitatem et virium integritatem brevi restituta est. Optima quaeque apprecamur nuper nato filio Regis, ut vigeat corpore ac mente, id imprimis ut virtutibus excellens in posterum dignum se praebeat stirpe illustrissima, e qua natus est.

Ex academiae Curatoribus, brevi postquam annuum magistratum gerere coeperam, vita functus est Vir nobilissimus, ingenii sane et virtutis praestantia haud vulgari insignis Oncko van Swinderen, equestri ordini Leonis Nederlandici adscriptus. Cuius nomen quum appello, verecundiam iniicit cogitatio me illius memoriam publice recolere debere, quod eo difficilius mihi, quum vix postremorum viri spectatissimi aetatis annorum testis fuerim. Itaque veniam pro laude petens in hac officii mei parte pergo. Natus est vir amplissimus in hac urbe patre Wichero van Swinderen, iuris utriusque doctore, matre nobilissima Octavia Cornelia Susanna van Rheden. In ipsa academia nostra studiis operam navavit, et defensa dissertatione *de polygynia*, alteraque *de libertate et moralitate actionum humanarum*, artium liberalium magister, philosophiae et iuris utriusque doctor est creatus. Anno post uxorem duxit Quirinam Iacobam Iohannam Gerlacius. Multa et varia in

regione sua et patria gessit munera, quae omnia recensere supersedeo; sunt tamen, quae si nunc non memorem, negligentiae, puto, reus fierem. Magistratui igitur huius urbis adscitus est vir egregius; curator huius academiae factus est; ad eam coetus legiferi partem, quae e civibus ab ordinibus provincialibus delectis constabat, plus semel delegatus est; eius praeses quoque fuit; quod item ei contigit, quum legem de imperio recognoscendi et emendandi causa anno quadragesimo huius saeculi esset convocatus. Eodem anno vero Regi a consiliis est factus extra ordinem et ab eo procerum consilio adscriptus. — Ecce! pauca excitavi e multis: quae autem mandata ei fuisse dixi gravissima et diversissima satis testantur virum fuisse laboris patientem et consilii plenum; neque enim nisi his virtutibus excellentibus talia mandari solent. Ceterum quid ego mihi sumam iudicium ferre de praestantis viri indole, ingenio, moribus? Id ut aliquo iure facerem, et diutius cognoscere illum debuissem et familiariter eo uti et multarum rerum peritus esse, quarum prorsus ignarum me esse scio. An igitur tacebo? Neque hoc faciam, quia non decet, sed lubet referre quo modo de illo sentiant, quibus propter ipsas illas res, quas mihi deësse sum confessus, fere competit de tali viro iudicium.

Laudant hi in viro praeclaro morum puritatem et elegantiam, quae in sermonibus, in vita, in vestitu adeo apparuerint. Officia quaevis diligenter et religiose illum obiisse affirmant, sive res domesticae, sive civiles spectentur; neque quidquam negligere solitum fuisse, ne ea quidem, quae aliis levioris momenti videantur. Rem suam familiarem prudentcr ac sapienter illum curavisse, quod necessario fere facere debuit, qui fortunae bonis cumulatus recte civitatem cognosceret, et probe sciret quibus maxime vinculis diversorum ordinum cives inter se contineantur. Ea autem illum fuisse vitae simplicitate, ut paucis ipse rebus indigeret; ea liberalitate, ut reditu exiguo positae in foenore pecuniae et agrorum esset contentus; ut haud semel pecuniam accipere noluerit, quam aerarium publicum ei vel debere certo constabat; ut numquam sumtibus parceret, quoties requirerentur ad liberorum aut nepotum institutionem; ut frequenter alios opibus adiuverit. Fuisse a loquacitate alienum, quin potius paucorum verborum, quippe qui fere loqueretur ut aliquid doceret, vel doceretur; vitam nempe rem ei fuisse seriam, non levem, qualis multis esse solet. Aliis fidem

haud ita facile adhibuisse dicitur, et hac in re cautus fuisse admodum; sed simul numquam fefellisse fidem, quam in ipso ponerent alii. In rebus gerendis mirae fuisse prudentiae: celeriter consilia cepisse, nec facile capti eum poenituisse, quum prae mirabili rerum civilium et animorum hominum cognitione magna sagacitate futura praevideret et semper illud „respice finem" menti illi obversaretur. Animo fuisse pio; — non solum in rebus adversis, sed etiam in prosperis in Deo reposuisse spem suam omnem. In dissensionibus theologicis, licet satis scirent omnes quibus praesertim partibus esset addictus, semper fuisse moderatum et aversatum esse plurium vehementiam, quin facile ac lubenter agnovisse bona, quae ab alio modo sentientibus in vitae usum redundarent, quippe nullam rem non ei fuisse cordi, quae in vitam civium tum privatam, tum publicam vim haberet.

Ita quidem A. A. de viro eximio sentiunt, quorum iudicio plurimum ego tribuo. Quo vero erga academiam fuerit animo, novimus omnes: huius nempe salutem ac gloriam ita eum curavisse, ut isti rei, quoties opus erat, totum se daret, et ut ad decrepitam usque senectutem prae mentis vigore, quo esse pergebat, semper hanc provinciam sibi mandatam prudentissime administraverit; pro qua re, omnibusque in ea bene factis non gratum nunc significare animum, sane nefas sit. Lugemus igitur obitum viri, quem inter praestantissimos, quos aetas nostra tulit, patriae cives censendum esse, omnes mecum fatebimini. Utinam eius memoria, quam repetivimus, nos ad virtutis et sapientiae studium incitet; quem enim in usum meliorem convertemus tum huius, tum praestantium quorumcunque virorum recordationem?

Non unica haec est mutatio, quam in academiae curatorum collegium intuentes dolemus. Vir enim nobilissimus Gockinga annis et valetudine iubentibus ei valedixit. Solatium sane est post gravis luctus commemorationem cogitatio, non tristiore de causa eius locum aliquamdiu vacuum fuisse; neque invidemus otio, quod sibi cupivit vir per multos annos de nostris rebus bene meritus; dolemus vero aetatem et morbum tanto oneri illi fuisse, ut levamen quaerere coactus fuerit in repudiatione muneris, quod diu ipsi carum fuit et honorifice ab illo gestum. Absenti liceat gratias agere pro opera in academiae salute promovenda posita! Diu adhuc vita et meliore sanitate fruatur contentus bene factorum in superiore vita conscientia!

Atque in horum quidem virorum locum suffectus est inclytus Comes van Limburg Stirum et tu, quem praesentem appellare licet, nobilissime de Vos van Steenwijk! Est quod nobis gratulemur curam nostrarum rerum vos suscipere voluisse. Doctrinae et artes, quas profitemur, multis, ut fructus itineris capiant, longiorem et difficiliorem fere praetendunt viam, quam quae magnopere placeat. Hinc fit, ut haud pauci, fatebimur enim, laborem ferre recusantes inutilia adeo et supervacanea praedicent ea, quorum notitiam vix mediocrem sibi compararunt, certe non eam, unde discere potuerint rerum, quas flocci pendunt, tum inter se nexum tum cum aliis ad vitae civilis usum spectantibus coniunctionem. Est horum error sane manifestus, sed quare ego nunc eius mentionem facio? — Nimirum quia error hic periculo non vacat, nec sine civitatis damno pervulgari et inveterascere poterit. Vestrum, quod gerere coepistis, munus, vester, quem in civitate tenetis, locus princeps faciunt, ut ad eruditionis omnis in patria nostra existimationem multum conferre possitis. Hanc autem rem magnopere vobis et collegis vestris, viris amplissimis, commendatam cupimus, quippe haud minimam partem esse putamus bonorum, quae in academiam a vobis redundare poterunt. — Sunt sane plures graves gravissimi vestri muneris partes: eruditorum ad hoc docendi munus evocatio, quorum delectus magnam partem a vobis pendet; subsidiorum ad institutionem necessariorum dispensatio, — aliae plures; — nec tamen quidquam horum gravius esse arbitror eo, quod commemoravi, quum rectum demum multorum de pretio doctrinarum iudicium ipsi academiae quasi audientiam facere poterit. Huius autem rem omnem omni nomine nunc tibi, vir nobilissime! commendamus; tu eam tueri pergas per longam annorum seriem; nos vota facimus, ut te quoque curante florere pergat, ut splendor eius, si fieri possit, etiam multum increscat et ut a vana ostentatione longe alienissima maxime patriae prosit bonorum ex ipsa civium largo proventu!

Iamque ad vos, collegae coniunctissimi! me converto et ad commemorationem eorum, quae nobis acciderunt. Et statim cum in vos intueor desidero, qui superioris anni festo die adhuc nobiscum fuit, Theodorum nostrum van Swinderen. Fuit huius obitus tum civibus fere qualiscumque ordinis, tum nobis acerbi doloris causa; nec melius ostendere potero quam

iustam dolendi causam habeamus, quam simpliciter enarrando viri multis nominibus desiderati vitam et merita. Haec igitur de illo nunc accipite!

Natus est in hac urbe patre, cuius iam mentionem feci, Wichero van Swinderen, matre Iohanna Margaretha de Beveren. Scholas Latinas frequentavit et anno aetatis decimo quinto studiis in academia hac operam navare coepit. E lectionibus, quibus interfuit, iuvat eas in memoriam revocare, quas cum eius studiis rerum naturalium coniunctas, extra solitum ordinem frequentavit. Ita chemiam doctus est a Driessenio, Botanicen a clarissimo Munniks, cuius lectiones de anatome et physiologia item sedulo audivit. Quin harum disciplinarum amore ita tunc temporis captus fuisse dicitur, ut aliquamdiu dubius fuerit num iurisprudentiae, cui destinatus erat, an medicinae totum se daret. Quod non mirabitur qui noverit a puero eum naturae rerum physicarum cognitionis cupidine flagrasse et adolescentulum iam collectione ad haec studia pertinente, quam parens possidebat, multum fuisse delectatum et paene puerum experimenta chemica iam instituisse cum Sibrando Stratingh, postea item in hac academia professore et peritissimo et dilectissimo. Quin in studia academica adhuc incumbens fundamenta iecit florentissimi hoc tempore sodalitii disciplinis physicis dicati, cuius lustrum decimum hoc ipso anno celebrantem audivimus senem, gratum animi sensum erga Deum effundentem, qui rei suae ita favisset, ut qui conventus primum quasi latuissent in ipsius domo paterna, postea in publicum prodire potuissent ornati lectissima corona tum audientium tum docentium. — Nondum percurso stadio academico defendit specimen studiorum conscriptum *de famulis domesticis*, eodemque anno creatus est artium liberalium magister, philosophiae doctor, defensa dissertatione *de atmosphaera eiusque in colores actione*, quae perinde ac specimen illud in Germanicam linguam est conversa, indicio quanto plausu fuerint excepta. Tandem anno post more maiorum iuris utriusque doctor est factus propugnata dissertatione *de legibus* et habita oratione *de Platone optimo in legibus condendis principis magistro.* — Hic quidem studiorum cursus fuit donec academiae valediceret, quod vel antequam fecisset tot et tam diversa in vita civili ei mandari coepta sunt, ut omnia recensere sane longum sit. Nec vero opus est: alii nempe me facundiores et plurimorum testes oculares, et amicitia cum eo coniunctissimi partim id

fecerunt alio loco, partim facient, ita ut me contineam intra commemorationem eorum, quae ad eius studia et erga academiam merita spectant. E domestica vero vita id praemitto, eum uxorem duxisse virginem nobilissimam Gertrudam Annam Lucretiam van der Merwede, quae adhuc vidua desideratissimi mariti obitum luget. Iamque redeo ad ea tempora, de quibus dicere inceperam. — Academiae vix, studiis minime illum valedixisse vel inde patet, quod cursu academico peracto etiam Ioannem Mulderum, virum clarissimum, audivit zoologiam et anatomen comparatam explicantem. Brevi post clarissimus Thuessink academiae dono dedit collectionem mineralium, cui curandae praefecit cum Sibrando Stratingh Theodorum etiam van Swinderen. Sensimque illo tempore eius fama ita increbruit, ut pluribus eruditorum sodalitiis tum patriis tum exteris nomen eius adscribi coeptum fuerit. Quin anno 1812, quum academia Groningana universali, quam vocabant, Imperiali Francicae esset sive adiecta, sive subiecta, huius moderator, comes de Fontanes, munus inspectoris academiae Groninganae viro amplissimo Adriano Gilles Camper et illi quoque detulit, quod probantibus optimis quibusque gessit. Eodem tempore edere etiam coepit calendarium academicum, in quo scriptis mandavit memorabilia academica anni cuiusque. — Pulsa Francica tyrannide disciplinarum physicarum professor est factus et anno sequente in hoc munere confirmatus. — Decretum Regium eiusdem anni iussit ut in singulis patriae universitatibus, atque ergo in Groningana etiam, prospiceretur tum rebus pluribus aliis, ad disciplinarum physicarum traditionem pertinentibus, tum museo, ubi materies haberetur ad zoologiam et anatomen comparatam necessaria. Swindereno igitur, quippe harum disciplinarum professori cura huius rei mandata est, in qua quam diligenter sit versatus et quam secunda etiam fortuna sit usus testantur plura. Sicuti enim huius indicium id est, quod tempestive in Kühlium quasi inciderit, ita illius, quod tam aptum in museo condendo adiutorem statim sibi adsciverit; unde celeria illo tempore musei incrementa. Industriam eius porro ostendunt invitationes civium, ut dono darent, si quae possiderent vel acquirerent, quae novo museo ornamento esse possent, pacta cum exteris inita, ut mutua cessione exemplarium duplicium vel multiplicium copias suas augerent; ostendit opera, postquam accessit museum Camperianum, ab eo posita in

acquisitione apti aedificii, in quo tuto omnia reponerentur, quamquam hoc non ex eius voto tunc temporis factum esse satis notum est. — Eiusdem in studiis industriae fructus quoque is fuit, quod una cum aliis viris eruditis instituit sodalitium historiae naturalis studio dicatum; in quo quid actum sit enucleate exponere nunc non attinet, verum hoc certum est, Swindereni propositum pluribus annis ante susceptum historiam naturalem huius provinciae illustrandi in eo non solum motum fuisse sed etiam promotum; testis enim est libellus *initia Faunae Groninganae* inscriptus et ab illo sodalitio editus cum supplementis aliquot annuis subsequentibus. Nec defuerunt eruditi, qui eius diligentiam magni facerent, quod patet e speciebus generum aliquot animantium a Kühlio, Goldfussio, Temminkio Swinderenanis dictis. Quin quo pretio etiam a Rege Gulielmo primo fuerit habitus, docet adscriptio ordini equestri Leonis Nederlandici. Quodsi respiciamus doctrinas, quas discipulis in hac academia tradidit, zoologiam cum anatome comparata et mineralogiam cum geologia per longum illum annorum tractum ab eo doctas fuisse novimus: logicam et metaphysicam unum annum docuit, plures vero annos paedagogicen et encyclopaediam. Primarium tamen locum in his disciplinis semper tenuit historia naturalis. Nec silentio hoc dimittere licet: plures fuisse annos, quibus non solum medicinae studiosi, qui ex legis praescripto iis interesse debebant, sed paene omnes academiae cives has frequentabant, idque non unum tantum annum aliquem, sed plures quisque continuos.

Sunt haec fere, quae de viro multum a multis desiderato hoc loco dicenda putavi. Non dixi de omnibus, quae in illo laude digna fuerunt, quia multa ex his academiam et docendi munus minus tangunt. Eius pietatem, erga omnes benevolentiam, alios adiuvandi studium, industriam, animi modestiam, boni veri et pulchri amorem cognovimus omnes, et quam hae virtutes in eius vita eluxerint. Merito ergo lugemus virum multis nominibus egregium. Sit illi terra levis!

Publici igitur doloris causa fuit nobis obitus collegae dum in vivis erat aestumatissimi; nec defuerunt privati doloris causae pluribus e docentium in academia numero. Vos hic primum volo, coniunctissimi de Groot, Pareau et van Hall! qui matrem et socrûs vestras pie dilectas e vita vobis ereptas doletis. Non meum quidem est dolorem vestrum verbis hac hora

lenire velle; neque enim acerbus desiderii eorum, qui tam cari nobis fuerunt, sensus aliena oratione aut eximi aut minui potest. Quae vero animum tali luctu afflictum erigit cogitatio Dei optimi et nostri amantissimi, quo volente etiam qui carissimi cuique sunt ex hac vità abeunt, a vestra sane mente abesse non potuit. Id unum maxime specto, ut vobis significem, nos quoque partem illius doloris sensisse et votà facere ut flebiles eiusmodi casus in posterum a vobis avertantur. Neque alia fere vobis dicenda habeo, amicissimi viri Rovers et Hecker! qui pro nostro res humanas spectandi modulo praematura morte vobis erepta vidistis carissima liberorum vestrorum capita. Tu Roversi! fere consuevisti acerbissimum dolorem ferre, nec tamen minus sentiri hic solet, ubi frequentia vulnera infliguntur, quamquam forte de vicissitudine rerum humanarum firmius tibi persuasum est, quam quum primum eiusmodi casum lugere coepisti. Quid tu, Heckere! senseris satis docent simplicissimi, quos prolis tuae sepulcro insculptos legimus, versiculi. Leniat vestra quoque vulnera Deus, a cuius numine non nisi quod bonum sit proficisci confidimus!

Verum emergamus paulisper e tam luctuosorum recordatione et animum etiam advertamus ad faustiora, quae tum aliis, tum ipsis quoque illis, qui tam graviter vulnerati fuerunt, contigerunt. Vos, collegae amici, Pareau et Iansen! e morbo, qui hoc anno longius brevius vos tenuit, feliciter pristinam sanitatem, quod vobis et academiae gratulamur, recuperavistis. Itaque laeti iam instauravistis laborem solitum. — Tibi quoque, amice Rovers! qui *μάλα πολλὰ πλάγχθης*, gratulamur certe reditum tuum in patriam et ad munus tibi carum; id maxime, quod filii dilectissimi valetudo tibi permiserit ut a longa peregrinatione et quasi exsilio ad viros tibi notos et amicos reverteretis! — Sed qui possim reditus tui mentionem facere, non simul ad te me convertere, Heckere! qui iam duos annos amicissimi collegae vice es functus? academiae nomîne a me rectore accipe grati animi significationem pro diligentia, qua curavisti ne cathedra historiae et antiquitatum esset vacua, qua effecisti, ut ne detrimentum caperet institutio academica e Roversii absentia, quam quo minus sentiebant iuvenes optimi, eo magis id tibi honori est!

Tibi, quem mox alio nomine vocabo, amicissime Enschedé! hoc anno Bibliothecae cura est mandata. Lucro quidem id apponimus nobis et

academiae, nec quidquam vehementius optamus, quam ut pergas novum tuum munus gerere, ut coepisti; tunc enim optima quaeque auguramur de pernecessariis illis studiorum adiumentis, quarum procuratio iam tibi delata est.

Tu, Muldere! defuncto collegae successor es in historiae naturalis et anatomes partium, quas ille docuit, traditione! Novimus tibi gratum esse reditum ad studia, in quibus maximam vitae partem posuisti. Vindicabis nomen, quod merito tibi in iis obtinuisti, atque ita, — neque enim dubitamus, — insigniter proderis academiae et patriae nostrae.

Et a te sponte adducor ad recens vocatos eruditos, quos brevi collegas salutabimus, ad doctissimos van Kerckhoff et van Deen. Horum alter te excipiet, Muldere! in chemiae professione, alter veniet ut partem ferat oneris nimis gravis, quo medicinae professores premebamur. Ita vacanti cathedrae prospectum est et docentium in medica facultate numerus, quod diu frustra optaveramus, auctus. Utinam maturius fieri potuisset! retinuissemus virum, qui emeritus academiae antea et nuper etiam urbi valedixit, et quem doctorem academicum in paucis eximium esse nullus non annus est testatus, quo nobiscum fuit et gloriam academiae Groninganae strenue vindicavit.

Ac possim hic fere concludere quae de professoribus dicenda habeo, nisi gratulari tibi velim, amice van Hall! honorem, qui hoc anno tibi contigit, quum ornatioribus adnumerareris inter adscriptos ordini equestri Luxemburgensi. — Nec vero silentio te, amicissime de Vries! transire possim. Novisti quam sim a blanditiis alienus, sed item, opinor, novisti quam vel in iis, quos ne diligo quidem, lubens agnoscam, si quid boni in illis inveniam. Quo igitur animo nunc erga te esse deberem, nisi publice dicerem et alios, nec minimum me, gavisos esse, cum nuper in Belgio literarum patriarum laudem ita es tuitus, ut non solum magno plausu ibi exceptum te sciamus, sed ut omnino quasi amore tui capti viderentur Belgae literarum amantes, et ut te praesente adeo professi sint se, si quid in suis literis proficerent, id magnam partem nobis et literis nostris acceptum referre. Sed illum plausum et verborum pompam illam parum te curare certo scio. Quapropter hoc potius tibi exopto, ut inceptis vestris numen adspiret et Lexico nostrae literae Nederlandicae a vobis ditentur, quod

auctoribus sit monumentum aere perennius et linguae nostrae studio instrumentum eo aptius, quo diutius fuerit desideratum.

Converto me ad vos, Iuvenes generosi, spes patriae! Plures quoque vestrum fato inexorabili occubuerunt. Ocko Iohannes Woldringh, Iohannes Ernestus Alberda van Menkema, Iohannes Knottnerus, Henricus Wichers, — omnes e vestro numero exciderunt. Nullum sane eorum non flebilem occidisse dicemus; neminem, qui non suis fuerit carissimus, suis laudibus ornatus, a praeceptoribus dilectus. Sed ut in dispari hominum sorte nonnullorum fata fere semper aliquid habent, quod ceteros magis advertat, ita sane res se habuit cum magnae spei iuvenibus, Woldringh et Knottnerus. Ille nempe laudibus cumulatus in studiorum cursu eo pervenit, ut theologiae iamiam operam navaret; in grammatice, linguis Orientalibus, Sanscrita etiam, eius progressus haud vulgares dicebantur ab harum rerum peritis. Quae omnia ut fuerunt honorifica, ita maxima laus ei tribuitur haec, — pietas, qua matrem viduam est amplexus. Hanc in oculis ferebat, huic totum se vovebat; haec praesente illius caritate fruebatur. Quis sine commiseratione sibi repraesentet luctum matris, quae tali filio orbata est. Knottneri vero fatum non minus quam illius fuit memorabile. Comprobationem obtinuit praeceptorum omnium in studiis suis propaedeuticis; — ad primum suum examen accedit iam tum minus recte valens; — cum plausu inde discedit; — quarto inde die in vivis non amplius erat; — octavo post est sepultus! Eheu! quanta parentum, quorum maximus natu filius erat, spes concidit et quam ex inopinato!

Atque utinam mors atra hic substitisset et pepercisset infortunato vestro Slot, qui his diebus tam improviso singulari calamitate fuit adflictus. Sed, proh dolor! quamquam aliquamdiu spemque metumque inter dubii fuimus, non erat in fatis ut salvus evaderet. Hodie mane cadaver exanimum tellus accepit! — Miseret sane omnes diri iuvenis fati; miseret sane parentum unico filio orbatorum; nec vero minus miseret eius, qui nullum periculum suspicatus, nolens ac ludens infortunii causa fuit insons. Sit parentibus immortalitatis spes, sit huic tum ista tum conscientia mali nihil se nec vidisse nec voluisse in acerbo casu solatio!

Sed quidni vos, Iuvenes optimi! quoque intueremini in bona, quae vobis contigerunt; — quae cum cogito statim in mentem venit e vestrum

numero ille, qui in certamine literario ab academia Ultraiectina indicto Groninganae nostrae propugnavit. Tu, ornatissime de la Faille! tam strenue tuam rem egisti, ut primos quidem honores non ferres, sed tamen nemine primos ferente secundos! Gratulor tibi et patri, cui tuae res sane non minus cordi sunt quam tibi ipsi, honorificam, quam nactus es, laboris tui mercedem. Macte virtute tua, quae, ut olim praemium tulit, ita nunc iterum eluxit. Veniet tempus, quo honores, alia laboris praemia parvi facies, ipsum laborem et virtutis conscientiam plurimi: illa scilicet fortuiti quid habent et incerti, in his constantia est et praesidium firmum. Quare hoc tibi exopto, ut ad aetatem, qua quid haec sibi velint melius senties, sine molesto certamine pervenias!

Ceterum, ut summatim dicam, qui in academia studiis hoc anno operam navarunt laudabiliter progressi sunt in cursu incepto. Non pauci fuerunt, qui haud mediocrem sibi laudem meruerunt: fuerunt etiam a quibus vix iure exspectari quid posset ultra quam praestiterunt. Quod ut illis honori est, ita academiae res maxime optata. — Numerum vestrum si spectemus, multo plures sane inscripti sunt albo academico hoc anno quam superioribus bene multis. Non quidem academiae gloriam metimur studiosorum frequentia, sed potius virtute; nec tamen numerum nihili facimus, quia academica vita in nimis parvo studiosorum numero potius languebit, quam vigebit. Itaque hoc quoque ad ea, quae vobis, ornatissimi iuvenes! et nobis et toti academiae fausta sunt, grati referimus.

Atque ut a personis ad res tandem transeam, de subsidiis studiorum monere debeo. Nec tamen id facere possum, quin statim ad principem personam Regis augustissimi recurram, cuius munificentia voluit ut praemia aurea, quae primo aerarii publici impensis cudebantur, et postea, quum futilis ac puerilis parsimonia nimio scilicet constare censeret haec iuvenum ad agendum incitamenta, professorum sumtibus, — iam ex opibus ipsius acciperent studiosi. Ut literis scriptis factum iam est, ita iterum hic publice gratias agimus Regi pro dulci hoc documento quam doctrinis et artibus bene velit, — quam cultus populi illi curae sit.

Minister autem Regius, cui rerum internarum patriae cura mandata est, provinciam Groninganam visurus huc veniens ipse novas aedes academicas, alia instituta nostra visitavit. Quae omnia sibi multum placuisse significavit.

Non dubitamus quin viro excellentissimo patuerit, quanti cives Groningani suam aestiment academiam et quam sapienter nulli rei parcant, ubi haec vel magnos sumtus requirit ut splendide ornetur.

Cum autem referendum est de libris academiae et reliquo apparatu, — bibliotheca eo, quo progredi valet, passu incrementa capere pergit; libri autem a pluribus inspiciuntur et teruntur quam antea factum est.

Museum historiae naturalis iam totum translatum est in locum, quem nunc occupat, novum, qui multis nominibus prae pristino se commendat. Multa non sunt addita quidem, sed nonnulla tamen acquisita: in dispositione vero speciminum sunt adhuc, quae desiderantur et quibus Mulderus noster prospiciet. — Cum multa non addita esse dico, ipsa volo specimina; sed ceterum clarissimus Theodorus van Swinderen voluit ut libri sui, qui ad historiam naturalem pertinerent et inter quos opera plura sunt praestantissima, post obitum suum apud museum essent et ibi servarentur in usum omnium, quod etiam fit, ita ut hoc nomine de academia etiamnum bene mereatur.

Hortus academicus hoc anno multis plantis ex nova Hollandia aliisque est ditatus; quod maxime factum est mutua cessione palmarum iuniorum, quarum specimina duplicia erant adlata ex insula Iava. Quominus nempe emantur plantae plures vetat angustia subsidiorum.

Collectio eorum, quae ad agriculturam pertinent, curari pergit: multa instrumenta sensim sensimque inde in usum omnium transferuntur, ad imitationem nempe exemplarium ibi praesentium confecta.

Chemicus apparatus item in novum locum translatus ibique hoc anno primum in usum vocari coeptus est. Laboratorium hocce prae antiquo longe excellere constitit; sunt quae adhuc partim adiungi, partim mutari debent, quod uti iam Mulderus facere cupivit, ita successor eius in chemiae professione re ipsa faciet.

Physica instrumenta numero increscunt et item aedibus splendidis, in quibus nunc asservantur, gaudent et gloriantur.

Medicorum res si spectemus, nosocomium aedificatur amplum pro vetere; omni modo, ut iure speramus, praestans erit, et indicium novum illustre, quam provinciae et urbis Groninganae civibus curae sint omnes res, quae ad institutionem academicam pertinent. — In usum physiologicae institu-

tionis et histologiae tum nova microscopia, tum alia instrumenta coemta sunt et augeri pergunt. Collectio pharmacologica et multum aucta est et nitidissime disposita, qua in re magnam, quod grati recordamur, operam posuit chemiae professoris adiutor Lofvers, quem honoris causa non nuncupare hodie nolui.

Itaque iam qualicumque tandem modo at perfunctus sum illis officiis, quae cum rectorali munere hoc anno mihi fuerunt imposita, licetque mihi successori id tradere.

Te igitur, Gulielme Adriane Enschedé! a Rege in novum annum creatum academiae nostrae Groninganae Rectorem magnificum proclamo ac renuncio.

Lubens, vir amicissime! tibi cedo onus, quod ut potui gessi, quodque cum bene fertur, ut aiunt, fit levius!

Tu igitur, qua de re nullus dubito, dexterrime ferendo, levissimum tibi reddes.

Fiat hoc cum academiae et tuo commodo!

DIXI.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA GRONINGANA,

HABENDARUM

A DIE 11 SEPTEMBRIS ANNI CIƆIƆCCCL AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIƆIƆCCCLI.

IN FACULTATE IURIDICA.

Henricus Nienhuis diebus Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, horâ XI, *Ius Civile* interpretabitur, iisdemque diebus, excepto die Saturni, horâ XII, selecta *Iuris Mercatorii* capita tractabit; diebus Mercurii horâ X, et Saturni horâ X et XII, maxime secundum ius patrium hodiernum, locum *de foro competente in caussis civilibus*, ipsiusque *Processûs Civilis* cum principia, tum praecepta exponet; quibus, post ferias hyemales, adiunget *Exercitationes forenses.*

Iacobus Hermannus Philipse diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, horâ IX, *Institutiones* Iustiniani explicabit; die Lunae, horâ XI, diebus Martis, Iovis et Veneris, horâ X, mense vero Aprili, Maio, Iunio et Septembri, iisdem diebus, horâ matutinâ VII, selectos *Pandectarum* locos tractabit; die Lunae, horâ VIII et IX, die Martis, horâ VIII, *Historiam Iuris Romani* enarrabit; die Mercurii, Iovis et Veneris, horâ VIII, *Encyclopaediam ac Methodologiam Iuris* tradet.

Cornelius Star Numan diebus Lunae, Martis, Mercurii, horâ VIII, *de delictis* et *poenis* disputabit; iisdem diebus, horâ IX, praemissa disquisitione de historia iuris publici patrii, *legem de imperio* interpretabitur; diebus Mercurii, Iovis, Veneris, horâ X, *de natura iuris* aget; diebus Lunae, horâ X, Iovis, Veneris, horâ VIII, *historiam Europae politicam* ita tractabit, ut inprimis traditurus sit historiam motuum, defectionum et conversionum civilium inde a defectione provinciarum Unitarum a Philippo ad nostra usque tempora; diebus Lunae, horâ XI, Iovis et Veneris, horâ IX, *Oeconomiae politicae* initia explicabit.

De scholarum, quibus *ius criminale patrium* exponendum sit, habendarum opportunitate et tempore, post ferias cum commilitonibus consilium inibit.

Disputationibus cum publicis tum privatis de iuris quaestionibus lubenter praeërunt Iuris professores.

IN FACULTATE MEDICA.

Iacobus Baart de la Faille diebus Mercurii et Iovis, horâ VIII, et Saturni, horâ IX, — sed post ferias Paschales, diebus Mercurii et Iovis horâ VIII, Veneris et Saturni horâ VII, — *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet; et in Nosocomio Academico, ad parturientium lectos, qualibet oblata occasione, practice instituet. Diebus Lunae et Martis, horâ VIII, *morbos Infantum* docebit. *Medicinam Practicam* tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii, horâ IX, et post ferias Paschales etiam diebus Mercurii et Iovis, horâ VII. Diebus Mercurii horâ X, et Saturni horâ VIII, *Medicinam Forensem* docebit. Diebus Lunae, Iovis et Saturni ab horâ X ad XII, diebus Martis, Mercurii et Veneris ab horâ XI ad XII, in Nosocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque ibi tractatos uberius exponet. — Disputationum exercitiis lubens vacabit.

Franciscus Zacharias Ermerins *Materiam medicam* docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, horâ VIII. — *Physiologiam Specialem* iisdem diebus horâ IX. — *Pathologiam generalem* diebus iisdem horâ X. — *Therapiam generalem* die Veneris horâ IX et X. — Exercitationibus clinicis in Nosocomio quotidie vacabit horâ XII.

Ianus Hissink Iansen *Chirurgiam* docebit die Martis horâ X, diebus Iovis et Veneris horâ IX, et post ferias Paschales etiam die Saturni horâ IX; *Histologiam et Physiologicam generalem* diebus Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni horâ XI; *Anatomiam pathologicam* die Veneris horâ VIII et X; *Clinicis excercitationibus* in Nosocomio Academico vacabit quotidie horâ I; *Anatomen corporis humani* exponet diebus Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni horâ IV; *dissectionibus cadaverum Anatomicis* tempore oportuno instituendis quotidie praeërit.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

Theodorus van Swinderen diebus Lunae et Martis, horâ X et die Martis horâ VIII, *Historiam naturalem Animalium* et *Fossilium, inprimis patriae*, quoad *Animalia*, cum *Anatome comparata* coniunctam, docebit; diebus Lunae et Martis, horâ III, vel, verno tempore, horâ VII matutina, aut alia magis commoda, hoc anno, *Historiam Naturalem Avium* fusius explicabit.

Hermannus Christianus van Hall die Martis, horâ XII, et die Veneris, horis VIII et IX, aestivo tempore etiam die Saturni, horâ VIII, *elementa Botanices* illustrabit. *Botanices sublimioris* selecta quaedam capita tradet die Veneris, horâ XI. Die Mercurii horis IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium. Die Saturni autem, horis X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit.

Ianus Guilielmus Ermerins diebus Iovis, Veneris et Saturni, horâ XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa explicabit; *Physicam experimentalem* docebit diebus Iovis, Veneris et Saturni, horâ XII. *Physicam theoreticam* universe, aut selecta eius capita, provectioribus discipulis exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur diebus Iovis, Veneris et Saturni, horâ pomeridianâ III.

Nicolaus Mulder diebus Lunae et Martis, horâ IX, die vero Mercurii, horâ XII, lectiones habebit de *Chemia generali et corporum organicorum.* Diebus Lunae, horâ XII, et Iovis, horâ X, *Chemiam pharmaceuticam* tradet. *Historiam Venenorum Chemicam*, die et horâ auditoribus commodâ, exponet. Cum provectioribus de *Physiologia vegetabilium chemica* colloquetur (post ferias Paschales) diebus horisque commodis. Diebus Lunae et Martis, horâ VI, p. m., *Chemiae technologicae capita* in usum publicum illustrabit. *Exercitiis* denique *chemicis practicis* varii generis quotidie praeërit.

Guilielmus Adrianus Enschedé diebus Iovis et Saturni, horâ IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam sphaericam* docebit; *Algebram superiorem*, diebus Lunae et Martis, horâ XI. *Exercitia mathematica* futurorum Praeceptorum moderabitur die Mercurii, horâ I. *Geometriam analyticam*,

Calculum differentialem et *integralem*, *Mechanicam analyticam* et *Astronomiam theoreticam* exponet, horis commilitonibus commodis.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Petrus Hofstede de Groot diebus Lunae, horâ VIII, Martis, horâ X, et Mercurii horâ VIII, *Historiam Ecclesiae Christianae*, secundum *Institutiones* suas, typis divulgatas, enarrabit; diebus Lunae et Mercurii, horâ X, *Encyclopaediam Theologi Christiani* exponet, secundum *Compendium* ab L. G. Pareau et se editum; diebus Lunae et Mercurii, horâ IX, et Martis, horâ XI, *Theologiam Naturalem*, secundum *Compendium* a se editum, tradet; die Saturni, horâ III et dimidia, *Historiam generis humani Divinitus instituti* inde a Iesu Christi missione in terras, coram studiosis omnium Facultatum aliisque auditoribus, sermone vernaculo, enarrabit; diebus et horis, quae Commilitonibus erunt opportunae, *Loca Patrum Selecta* cum commilitonibus leget, atque *Historiam Euangelii nostris diebus propagati*, duce Walmanno, enarrabit.

Ludovicus Gerlachus Pareau diebus Mercurii, Iovis et Veneris, horâ XI, *Dogmaticam et Apologeticam religionis Christianae*, secundum *Compendium* a P. Hofstede de Groot et se editum, exponet; diebus Martis, Mercurii et Iovis, horâ XII, secundum *Compendium* suum typis expressum, *Theologiam Christianam moralem* exponet; diebus Lunae atque Veneris, horâ XII, et die Martis, horâ I, loca nonnulla *Hermeneutices sacrae*, secundum *Compendium* suum typis editum, tractabit et quaedam *Carmina Hebraica* cum Commilitonibus interpretabitur.

Guilielmus Muurling die Lunae, horâ XI, tractabit *Criticam Novi Testamenti;* die Martis, horâ VIII, et diebus Iovis atque Veneris, horâ IX, Epistolam Pauli *ad Romanos* cum Commilitonibus interpretabitur; die Martis, horâ IX, et diebus Iovis atque Veneris, horâ X, *Theologiam Practicam* tradet, praecipue *Catecheticam*, *Homileticam* et *Liturgeticam;* die Iovis, horâ III, *exercitia Homiletica*, die Saturni, horâ XI, *exercitia* provectiorum *Catechetica*, cum pueris instituenda, moderabitur.

Disputationibus cum publicis tum privatis de *Locis Theologicis*, die Mercurii, horâ III, suis vicibus praeërunt Theologiae Professores.

Ut religionis Christianae accuratius et penitius cognoscendae copia fiat omnibus, qui huius rei desiderio tenentur, Academiae alumnis, a Theologiae Professore pars Novi Foederis legetur cum variarum Facultatum Studiosis, diebus et horis, quae Commilitonibus erunt aptissimae.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Fredericus Christianus de Greuve diebus Lunae, Martis et Mercurii, horâ IX Historiam Philosophiae exponet; horâ X *Metaphysicam* tradet; iisdem diebus, horâ XI, *Logicam* docebit. *Ethicam*, aliamve *Philosophiae* partem, et *Psychologiam* hora auditoribus commoda explicabit.

Iacobus Adolphus Carolus Rovers tradet *Historiam gentiuu recentiorum*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, horâ IX; *Antiquitates Romanas*, iisdem diebus, horâ X, et die Iovis, horâ VIII; *Antiquitates Atticas*, diebus Iovis et Veneris horâ IX et die Saturni horâ VIII. *Disputandi exercitationibus* praeërit alternis hebdomadibus, die Saturni, horâ IX.

Iosua Ioannes Philippus Valeton *elementa grammatices Hebraeae*, additis exercitiis analyticis, tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii, horâ VIII. *Grammaticam dialectorum Semiticarum comparatam*, additis exercitiis analyticis Arabicis et Aramaeis, exponet diebus Iovis, Veneris et Saturni, horâ VIII. *Antiquitatem Hebraeam* explicabit diebus Lunae, Martis et Mercurii, horâ X. *Librum priorem* Regum interpretabitur diebus Lunae et Martis, horâ I; *Psalmos* selectos die Mercurii, horâ I. Cum provectioribus Kosegartenii *Chrestomathiam* privatim leget die Lunae, horâ IV, et *Chrestomathiam Kirschianam a* Bernsteinio *editam* eodem die, horâ V.

Ioannes Adolphus Carolus van Heusde diebus Iovis, Veneris et Saturni horâ X *Ciceronis Tusc. Q.* l. I; iisdem diebus horâ I *Aristophanis Plutum;* privatim iisdem diebus horâ XI *Platonis libb. de Rep.* et *historiam Exegeseos Graecae* exponet. *Disputandi exercitationibus* praeërit alternis hebdomadibus, die Saturni horâ IX.

Matthias de Vries *Historiam Patriae* tradet, diebus Iovis, Veneris et Saturni, horâ XII; *Linguam patriam* explicabit et *Eloquentiae* praecepta

tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii, horâ XII; Fabulam, *Reinaert de Vos* dictam, a Doct. WILLEMS editam, interpretabitur, diebus Lunae et Mercurii, horâ IV; *Exercitia Oratoria* moderabitur, die Lunae, horâ V et dim. — Si qui sint, qui *Linguae Sanscritae* elementa sibi explicari cupiant, eorum studia lubentissime adiuvabit; tironibus BOPPII *Grammaticam Sanscritam* et LASSENI *Anthologiam* explicare perget, die Martis, horâ VI—VIII.

GULIELMUS HECKER, Paedagogices Lector, diebus Lunae et Martis, horâ I, Literarum aliarumque disciplinarum studiosis elementa tradet *Paedagogices*, sive *de discendi docendique methodo* praecepta dabit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA GRONINGANA,

DIE 31 M. DECEMBRIS 1850.

In Facultate		Medica	44.
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	3.
〃	〃	Theologica	64.
〃	〃	Phil. Theor. et L. L. H. H.	7.
〃	〃	Juridica	110.
			228.

24

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA GRONINGANA,

INDE A D. 10 OCTOBRIS 1850 AD 9 OCTOBRIS 1851.

IN FACULTATE MEDICA.

1850.

d. 26 Oct. Jacobus Fredericus Cohen, Groninganus, M. et A. O. D., priv. def. Thes. Chir., Ch. D.

d. 9 Nov. Fredericus Constantinus van den Ham, Barnevelda-Gelrus, M. D., priv. def. Thes. Obst., A. O. D. *magna cum laude.*

d. 7 Dec. Janus Bosman Tresling, Groninganus, M. et A. O. D., priv. def. Thes. Chir., Ch. D. *cum laude.*

d. 18 Dec. Petrus Antonius van der Ketten, Zwollanus, priv. def. Diss. *de morbis simulatis, qui pertinent ad organa sensuum*, M. D. *cum laude.*

d. 20 Dec. Jacobus van der Scheer, A. f., M. D., priv. def. Thes. Obst., A. O. D. *cum laude.*

d. 21 Dec. Gerardus Posthumus, Zuidhorna-Groninganus, M. D., priv. def. Thes. Obst., A. O. D. *magna cum laude.*

1851.

d. 30 Jan. Arnoldus Nicolaus Fabius, Stenovicensis, M. D., priv. def. Thes. Obst., A. O. D. *cum laude.*

d. 31 Mart. Anastatius Antonius Jorritsma, Snecanus, M. D., priv. def. Quaest. Obst., A. O. D. *cum laude.*

d. 10 April. Mauritius Salomonson, Almeloënsis, priv. def. Spec. *de haemorrhagia, quae vocatur Apoplexia pulmonalis*, M. D. *cum laude.*

d. 12 April. Arendus Antonius Hyner, Enschedea-Transiselanus, priv. def. Spec. exhib. *nonnulla de Hyperaemia cerebri*, M. D. *cum laude.*

d. 7 Maji. Petrus Cornelis Lindeboom, Heilo-Transiselanus, priv. def. Diss. *de Diphtheritide*, M. D. *cum laude.*

d. 8 Maji. Hajo Diephuis, Groninganus, priv. def. Diss. *de Neurosi cordis*, M. D. *cum laude.*

